






11735. V.B. c. 2.


11735

7018 11738










NOSTRIS MEDICIS GESTIBUS  
NOSTRIS MEDICIS GESTIBUS  
EXTRASCIATVM EXTRASCIATVM  
MEDICVM





# INTRICATUM EXTRICATUM

Medicum,

Seu

TRACTATUS

De

MORBIS COMPLICATIS

MARCI GERBEZIJ

Philos. & Med. Doctoris,

Inclytorum CARNIOLIAE Statuum

Physici & Medici Ord. Sac. Rom. Imp.

Academiae Imperialis & LEOPOLDINAE Nat.

Cur. Collegae, D. Agesilai, Carniolie.

Opus

INTRICATISSIMA QUÆQUE

in Praxi Medica occurrentia bre-

viter pertractans, & dilucidè re-  
solvens, & vel propterea lectu  
utilissimum.

Cum permisso Superiorum.

---

L A B A C I ,

Typis JOSEPHI THADDÆI MAYR ,

Inclytæ Provinciæ Carnioliae Typographi .

ANNO M. DC. LXXXII.



IN = 030005003



CELSISSIMIS PRINCI-  
PIBUS, REVERENDISSIMIS,  
EXCELLENTISSIMIS, ILLUSTRI-  
SIMIS, PERILLUSTRIBUS, GENE-  
ROSIS, MAGNIFICIS, NOBILIBUS,  
STRENUIS, &c.

DD. DD.

INCLYTI DUCATUS CAR-  
NIOLIÆ PROCERIBVS,  
Dominis, Dominis Gratiostissimis  
*Salutem & sanitatem.*

**D**endeant de tholis sua Jo-  
vi Feretrio Clientum a-  
nathemata, adoleant vi-  
ctimarum hecatombes  
Olympico suo agonothetæ, suas in-  
trophæa attollant Marti victores.

adoreas, suum Dædalus Apollini sa-  
cret allarum remigium, quo felici-  
ter fugiens Minòja Regna

*Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,  
Chalcidicāq; levis tandem superasit arce.*

Verūm Ego, qui haud solicita deli-  
beratione, nullo propè consilio ve-  
stras Celsissimi Principes, Illust.<sup>mi</sup>  
Proceres, Patriæ Patres subire vul-  
tus, in vestra pronis animis ruere pa-  
trocinia non reformido, non aliud  
terrestre Numen mihi adeundum  
existimabam, quām gentilitiam ve-  
stram magnarum alarum Aquilam,  
cui Palladias hásce laboris Medici  
mei primitias venerabundus sub-  
sterno, dedicóque, atque Opuscu-  
lum hoc levidente, ceu perenne ob-  
strictissimæ submissionis monu-  
mentum appendo, Romanæ facun-  
diæ Principis monito obsecuturus:

Omn.

*Omnia quæ à nobis geruntur , non ad no-  
stram utilitatem , & commodum , sed ad  
Patri e salutem conferre debemus . Orat.  
ad Quirit. post red. Et verò cuius  
sub umbra patrocinij lucem capte  
consulti'is ? cuius ductu tutius tot  
inter Theoninos malevolorū mor-  
sus ( quibus novelli hodie partus hu-  
jusmodi sunt obnoxij ) evolet in  
publicum , quām Regiæ illius sub  
alis Alitis , quæ cœlesti colore fulgi-  
da EGGENPERGIO in Olympo tempe-  
statis ignara , suprāque casus huma-  
nos levata residet perennaturā eti-  
am in Clientibus suis serenitate . Cu-  
jus sub splendore Nominis ? cuius  
sub honore terrorēque Numinis tri-  
umphet felicius , quām ea Jovis sub  
armigera , quæ dum alas explicat ,  
contra complicatos roties , replica-  
tōsque epidemicæ luis hostes mor-*

bōsque Apollineâ sanè providentiâ  
cæterarum etiam ad invidiam Pro-  
vinciarum Patriam servavit, servát-  
que etianinum incolumem: Quin  
& (quod caput est) ipsius etiam Ro-  
mani Imperij gloriam eâ nominis  
sui famâ vindicavit ab hostibus, ut  
speciali quoque præ Pantheris, Leo-  
nib[us]que hæreditarijs prærogativâ,  
non Ducali tantùm, sed & Cæsareo  
redimita diademate glorioſa trium-  
phet?

Verùm mirum id fortassis alicui  
videri poterit, quòd universâ pro-  
pemodum Europâ bellicistumulti-  
bus perstrepente amica ego cum  
Musis jungam fædera, atque dum  
intricatum tot armis orbem ferro,  
& sanguine extricare latagunt vin-  
dices Christiani Nominis Alexandri,  
Gordijs egoludam, & calamo. Ve-  
rùm

rūm neque ego Palladem Marti un-  
quam inimicam fuisse didici, quam  
propterea non togatam modò, sed  
& armatam pelliade, munitam ægi-  
de adoravit antiquitas. Quin imò  
ille ipse, qui universa rapit Martia-  
lis turbo, etiam me salutis vestræ  
studiosissimum in castra abripit :  
animat contra duos invictissimus il-  
le Austricæ Hercules LEOPOLDUS,  
qui & in Oriente & occidente im-  
mortali Nominis sui anagrammati-  
smo *Duplo sole* refulget, *Pellitque duos :*  
pennam acuit strictus ille in Otoma-  
næ Lunæ excidium , mefsemque  
Liliorum vindex fidei , & sceptri  
gladius , ut post novennales ( qui-  
bus sub Aquila vestra Duces Glor.<sup>mi</sup>  
stipendia merui ) acerrimos confli-  
ctus aperto etiam Marte adversus in-  
fensissimum illum humanæ vale-

tudinis, imò vitæ hostem Morbum  
Complicatum tantò efficaciùs insur-  
gam, salutaria contra eum Urbi, or-  
bique arma ministraturus.

Sed & tua Princeps Cels.<sup>me</sup> Neo  
Capitanee DD. Patrone Gratioſs.<sup>me</sup>  
festæ inaugurationis ſolennia, quæ  
Patriam universam recreant, Palla-  
dium hunc meum accelleravère  
partum aufpicatissimo ſanè nativi-  
tatis ſuæ horofcopo, ſi tuis ſub au-  
ſpicijs, ſi ſereniſſimi hujus in con-  
junctione ſideris tantæque in ortu  
lucis in lucem prodeat, ſuæque fa-  
ciat preſtum obſcuritati. Et verò  
piaculo ſibi dueturus erat Hippo-  
crates Æmonensis noster, ſi unus ip-  
ſe tot inter communes aggratulan-  
tium voces, plauſusque obmutescat  
inglorius, atque dum Justinianus  
enſem tibi & codicem, dum For-  
tuna

tuna rotam, fasces submittit **Gloria**,  
Fama tubam, Honor triumphos ap-  
parat, ipse quoque cum aliquali, si  
non gratitudinis debitæ, saltem gra-  
tulationis debitæ, tributo non com-  
pareat: id quod quidem facit, dum  
tibi incolumentem, perennitatém.  
que acclamantium vota hoc **Extri-**  
**cato** suo **Medico** complere con-  
tendit.

Vivite proinde, perennate  
**Celsi**.<sup>mi</sup> **Principes**, **Illust.**<sup>mi</sup> **Proceres**,  
Patriæ Patres, ac me saluti honori-  
būsque vestris dudum juratum cum  
hoc tenui labore meo sub umbram  
**Illust.**<sup>mæ</sup> **Aquilæ** vestræ accurren-  
tem illis complectamini benevo-  
lentiæ argumentis, quæ in me im-  
meritum hactenus, totque alios Pa-  
triæ Philomusos dispertiri consuevi-  
stis. Atque dum Intricatum hoc

Medicum à me extricatum sereno  
vultu beare vestra non dignatur  
humanitas intricatum tot favoribus  
gratiisque vestris Authorem Me-  
dicum nullâ unquam ætate extrica-  
te, fovete, favete.

Celsitud. & Illustriſſ.<sup>us</sup>  
DD. VV.

*Submiffissimus ſervus &  
Cliens.*

MARCUS GERBERZIMUS  
M. D.

PRÆFATIO.

*Ad Lectorem.*

**A**Beo, quo divinæ illi Apollinis Arti Medicinæ operam meam navare cœpi, tempore, illud mihi semper, tanquam unicum exactè in Artibus proficiendi medium solenni in more fuit, quod omnia, quæ mihi interea temporis seu inter legendum, seu inter disputandum, amicè de rebus medicis cum doctioribus discurrendum notabiliora, & abstrusiora occurrebant, in studiò ad id destinatas chartas, tanquam ad penarium quoddam mihi in casu necessitatis fortè suo tempore servitura transferre solitus fuerim: & factum est, quod taliter procedendo cum tempore tantam vel solum eorum quæ Complicatos, seu tales, quorum contrariæ sunt indicationes, affectus concernunt, notatorum copiam invicem congregaverim, quæ mihi, si ea nonnihil excolerem, in artificiosum nimirum ordinem redigerem, amplifica-

rem,

rem, authoritatibus munirem, rationib-  
us & experientijs confirmarem, pro con-  
ficiendo satis commodo tractatulo suffi-  
cienterent. Cui propterea etiam adhuc an-  
te aliquot annos principium dederam, à  
quotidianis tamen ad ægros laboribus  
præpeditus priùs ad finem perducere non  
potui, quām ante paucum ab hinc tem-  
pus. Et determinaveram illum quidem  
primūm pro privato saltem usu mihi soli  
reservare, quod perspectâ tamen penitus  
rei, quæ in eo pertactatur dignitate, &  
utilitate, omnium videlicet, quæ ferè in  
Praxi medica occurrere possunt difficul-  
tatum resolutione, existimarem me cum  
ejus in publicum editione quoque publi-  
co tum languentium, tum medentium  
commodo, saltem aliquid prodesse pos-  
se, statui tandem illum etiam prælo su-  
biscere, & publicæ luci extradere; indu-  
biè sperans, me cum eo saltem Cordatio-  
ribus, & de rebus alienis æquiùs sentien-  
tibus vel propterea rectè venturum, quod  
eam materiam ipsis ab omnibus difficul-  
tibus extricatam proponam, cuius am-  
biguitatibus, nulli non Practicantium

pluri-

plurimū semper imponentibus plena  
quidem est Praxis medica, sed quarum ex-  
planations vel planè non, vel vix alicu-  
bi, & tunc non nisi sparsim, & insinuat-  
ivè solùm liceat reperire; materiam vide-  
licet curationes affectuum Complicato-  
rum concernentem. Quā in re, ut fa-  
tear, fortè brevior cuiquam videbor, for-  
tè alicubi etiam obscurior, vel etiam pro-  
pterea culpandus, quòd quarumdam  
Complicationum quidem mentionem fe-  
cerim, remedia tamen, quibus illæ tra-  
Etarentur, non adduxerim: verùm dico,  
quòd satisfacere ad amissim cuilibet,  
sit res, quæ transcendent hominis potesta-  
tem. Quod verò brevitatem attinet,  
sunt quamplurimi alij, qui eam præ laxi-  
tate amant. Obscuritatem autem causa-  
vit materia ipsa obscura per se, & obscura  
per accidens: ex eo scilicet, quòd illa ha-  
bitenus ab Authoribus vix aliquando, ni-  
si sparsim & insinuativè solùm fuerit exa-  
minata secùs ac aliæ materiæ medie-  
millies ab alijs agitatæ. Fecit quidem in  
ea Stephanus Rodericus Castrensis in  
tract. suo de Complexu morborum, aliquid,

scd

sed quantum, & qualiter, eum lectorus  
judicabit. Ut adeò mirandum non sit,  
si res alicubi fortè obscurius à nobis tradi-  
ta videbitur, præcipue si Lector earum re-  
rum scientiâ priùs imbutus non fuerit,  
quæ ad exactam præsentis nostræ mate-  
riæ intellectiōnem in eo necessariò præsu-  
ponitur, scientiâ videlicet elementorum,  
temperamentorum, morborum, caula-  
rum, symptomatum, Medendi Methodi  
ordinariæ, materiæ remediiorum, & uni-  
verſæ penè rei medicæ. Simili procul  
dubio res fortè obscurior videbitur, mini-  
mè verò in Scientia Physica & Medica ut-  
cunque priùs exercitatis. Quod verò  
tandem amissas alicubi curationes con-  
cernit: dico imprimis me in hoc tractatu-  
lo non tam remedia, quibus in Compli-  
cationibus utendum, quam modum cum  
ijsdem procedendi intendere monstra-  
re; atque adeò neque in hac parte adeò  
esse culpandum: quidquid contradixe-  
rint, & objurgaverint malevoli detra-  
tores illi, quorum proprium istud est, ut,  
vel ea solum, quæ sua sunt, æstiment,  
vel, quia præ mera sive ignorantia sive in-  
ertia

ertia quicquam digni producere sibi non  
fidunt, illud etiam alijs invideant: quo-  
rum perversæ menti verò si quis se ac-  
commode vellet, deberet unā cum illis  
semper in ignorantia, & desidiae luto hæ-  
rere, id quod verò cor sincerum, & pro-  
ximi utilitatem infectans, omnino dède-  
cet. Quale proinde, cùm quoque mihi  
concesserit divinum Numen, non decuit  
me cum isto Conamine meo tali quali in-  
ter domesticos parietes delitescere, &  
cum eo privatis solum rebus consulere,  
sed progredi in publicum, & si quâ fieri  
posset, cum eo etiam alijs open ferre.  
Quod proinde ut fiat feliciter, faxit su-  
premus, à quo omnis medela, Archia-  
ter! Tu verò Lector Benevole fave, vi-  
ve, & vale.

JN.

INDEX CAPITUM.

*Partis Primiæ.*

Proœmium	Pag.
Caput. 1. Quid sit morbus Complicatus?	p. 3
Cap. 2. De morbi complicati differentijs.	p. 10
Cap. 3. De morbi complicati causis.	p. 14
Cap. 4. De morbi complicati diagnosi.	p. 17
Cap. 5. De morbi complicati prognosi.	p. 20
Cap. 6. De morbum complicatum curandi ratione ex comuni sententia.	p. 24
Cap. 7. Demorbum complicatum curandi ratione ex propria sententia.	p. 41
Cap. 8. De artificioſa electione inter purgantia instituenda.	p. 52
Cap. 9. De artificioſa electione inter vomitoria instituenda.	p. 64
Cap. 10. De artificioſa electione inter clymata instituenda.	p. 70
Cap. 11. De artificioſa electione inter suppositoria instituenda	p. 76
Cap. 12. De artificioſa electione in sanguinis missione instituenda.	p. 78
Cap. 13. De artificioſa electione inter sudorifera instituenda.	p. 87
Cap. 14. De artificioſa electione inter diuretica instituenda.	p. 98
Cap. 15. De artificioſa electione inter alterantia instituenda.	p. 105
Cap.	

- Cap. 16.** De artificioſa electione inter alexi-  
pharmacā instituenda. p. 114
- Cap. 17.** De artificioſa electione in viſtu inſti-  
tuenda. p. 119
- Cap. 18.** De artificioſa electione inter ea quæ  
per ſe, & per accidens operantur,  
inſituenda. p. 127
- Cap. 19.** De aſtuto remediōrum in compli-  
catorum affectuum curationibus  
uſu. p. 130
- 

### *Partis secundæ.*

- Caput 1.** De hydrope cum febribus compli-  
cato. p. 148
- Cap. 2.** De febre cum malignitate compli-  
cata. p. 184
- Cap. 3.** De complicationibus in paſſione hy-  
pochondriaca occurrentibus. p. 206
- Cap. 4.** De apoplexia cum febre compli-  
cata. p. 228
- Cap. 5.** De ventriculi frigidæ, & hepatis calidæ  
intemperiei complicatione p. 241
- Cap. 6.** De complicatione obſtructionis ple-  
niſ cum tuffi ab acri & tenui deflu-  
xione dependente. p. 251
- Cap. 7.** De complicatione inter pleuritidem,  
& ei ſuprivenientem diarrhaēam in-  
tercedente. p. 253

**Cap. 8.** De complicatione, quæ inter pleuritidem, & ei conjunctam febrim ratione refrigerantium intercedit. p. 257

**Cap. 9.** De complicatione inter hæmoptoïsin, & tussim à pectoris perfrigeratione dependentem intercedente. p. 260

**Cap. 10.** De naturali mulierum constitutione, atque affectibus cum menstruis, graviditate, & puerperio complicatis. p. 264

**Cap. 11.** Quot modis morborum cum menstruo fluxu concurrentium complicatio contingat? p. 275

**Cap. 12.** Circa quæ potissimum remedia contingit morborum cum mensibus concurrentiū complicatio? p. 281

**Cap. 13.** De legitimo remediorum, circa quæ contingunt cum mensibus complications, usu. p. 283


**Cap. 14.** De morbis cum graviditate complicatis. p. 313

**Cap. 15.** Circa quæ potissimum remedia contingit morborum prægnantibus accidentium cum graviditate complicatio. p. 318

**Cap. 16.** De legitimo remediorum, circa quæ contingunt in prægnantibus mulieribus cum graviditate complications, usu. p. 324

**Cap.**

- Cap. 17.** De morbis in specie cum puerperio complicatis. p. 369
- Cap. 18.** Circa quæ potissimum contingit affectum puerperis accidentium cum puerperio complicatio? p. 371
- Cap. 19.** De legitimo remediorum, circa quæ contingunt affectum puerperis accidentium cum puerperio complications, usu. p. 374
- Cap. 20.** De recto prægnantium, & puerperorum in sex rebus non naturalibus regimine. p. 437



ALLUSIONES GRATU-  
LATORIÆ.

Ad eruditissimum Tractatum de  
Morbis complicatis D. Marci Gerbezij  
Phil. & Medicinæ Doct. &c.

**Q**uid lolem refugis dudum Liber edite votis?  
Incassum tabo pectora tincta times.  
**V**irtutem, nosti, genij duo in orbe sequuntur,  
Hic bonus; ille malus: Gloria & Invidia.  
**G**loria, quæ excellis semper venit ore Proborum;  
Invidia ast vili semper ab ore venit.  
**I**mpavidus tandem doctis te evolve latebris,  
Famæ & Mastyges unius assis habe.  
**N**e cibi quæ Critici conflant finguntq; Theones  
Turpia telluris pondera, probra nocent.  
**S**at tibi quos operis dabit arbiter æquus honores,  
Te nivea quando mente, manuque teret.  
**S**picula, quæ vano (ride) jacit invidus iictu  
Quæ feriunt cum aurâ, ut veniunt, pereunt.  
**I**nclita Galenus spondet præconia laudum:  
Corripe, quod dulcis Gloria pandit iter.  
**P**aonios potuit, quæ penna evolvere nodos  
Nomen Alexandri sparget in orbe novi.

*Ita in perenni amicitia tessera m. cecinit.*

J. G. Thal. J. V. D.

**N**ec datur adversus geminos teste Hercule pugna:  
Te video morbis pluribus esse parem.  
Difficiles morbi, qui sic contraria poscunt,  
Humida cum siccis, frigida cum calidis.  
Difficilis cura est, cum bile exæstuat hepar,  
Cum sit yentriculus frigidus atque lien,  
Hætica difficilis, dum fluxus jungitur alvi,  
Perfidus aut hydrops inflat utrumque pedem.  
Hos Labyrinthæos scrutans in corpore morbos  
Ægris & Medicis commoda multa dabis.  
Perfice, quod cœptum est, veniat citò partus in orbē,  
Et tua cordatis porrige scripta viris.  
Immensas iterūm grates tibi quælibet ætas  
Fundet, & æternūm premia Fama canet.

*Hisce clarissimo Domino Authori  
& Collega charissimo aggratulari voluit*

JOANNES BENEDICTUS  
GRÜNDL, Philos. & Me-  
dicinæ Doctor, Inclito-  
rum Styriæ Statuum Phy-  
sicus, Academiæ Imperia-  
lis Leopoldinæ Naturæ Cu-  
riosorum Collega, dictus  
*Celius Aurelianus.*

---

In idem Clarissimi D. Authoris opus.

**G**ordius enodat nodus dissectus ab arte,  
Morbos complicitos, quos tenet iste liber:  
De quibus ut scribit mirâ GERBEZIUS arte,  
Nemo sic librîs scriperat ante suîs.

Can-

Candidus hoc Lector completere protinus ulnis,  
Egregium Ingenij dexteroris opus.  
Luctantum hic mirè resecat symptomata morbūm,  
In corpus bellum cùm mala plura movent.

Ita eX affeCtU honorIs,  
VerIq Ve aMorIs ap-  
pLaVDIt , InnVIt

JOANNES FRANCISCUS  
PAPLER de Altenlag Philol.  
& V. Juris Doctor, nec non  
Inclytæ Provinciæ Carnioliz  
juratus Prætorialium Judi-  
ciorum Advocatus.

---

In eruditissimum Tractatum de  
Morbis complicatis Excellentissimi, Cla-  
gissimique Viri D. Marci Gerbezij Phil. & Med.  
Doctoris Inclitorum Carniolæ Statuum Phys-  
ei, & Medici, S. R. I. Acad. Nat. Cur.  
Collegæ, dicti Agafilai.

## EPIGRAMMA

TAM bene de morbis tingis GERBEZE papyros,  
Vivere Nestoreos, ut mereare dies.  
De Complicatis morbis tu differis, ergo  
Complicata dabit Gloria ferta comis.

Pronus, Promptus, Perennus  
Servus, & Collega

JOSEPH LANZONUS  
Medicus Ferrariensis, &  
Academicus Curiatus dict.  
Episharmm,

Per il Celebre Trattato de Mali  
complicati dato in luce dall' Eccel.

Sig. Dott. Marco Gerbezio  
Accad. Curioso

## SONETTO

**G**ERBEZI insigne il cui saper profondo  
Della morte il poter vince, & atterra;  
Primo frà i saggi anzi à verun secondo  
Già sei frà grandi annoverato in terra;  
**L**a penna tua col tuo saper faccondo  
Il Medico sentiere à noi differra;  
Tú sei d' alta virtù Padre secondo,  
E có i tuoi scritti al cieco oblio fai guerra;  
**A**l tuo Valor m'inchino, è al suol prostrato  
Bacio il tuo Libro, e riverente adoro  
L' Alto Motor, che un tal saper t'ha dato;  
**E** quindi scorgo delle Muse il Coro,  
Che per cingerti il crine hanno formato.  
Degna corona d' immortale alloro.

*In segno di particolar devotione*

Dott. G. Lanzoni Accad.  
Cur.

# EPIGRAMMA

IN

## Intricatum Extricatum Medicum

D. MARCI GERBEZIJ

Med. Doct.

Inne XV<sup>s</sup> penitIs DVM trICIS VoLVI<sup>r</sup> orbIs,  
Intri & extricatum protulit Author opus.  
Erravi! fateor. veniam da quæso fatenti:  
Intri & extricatum nescit hic Author opus.  
Cum siquidem fugiat quidquid contraria voluit,  
Intri & extricatum persequitatur opus.  
Sed quid ago? dubius cur hæsito? quando suummet,  
Intri & extricatum nominat Author opus.  
Sic est: in totidem tricis intricor & ipse,  
Vix extricandus. Sed modo trica patet.  
Hæc quæ iñtricavit quasi sphinx natura novercans,  
Oedipicè extricat Doctor hic arte suâ.  
Mirandum! natura modo superatur ab Arte,  
Naturæ licet Ars cœmula dicta fuit.

*Cecinit in observantiae testimonium*

Jo. STEPH. FLORIANTSCHITSCH  
de Grienfeldt J. V. D.



MARCI GER-  
BEZIJ PHILOS. ET  
Medicinæ Doctoris  
INTRICATI EX-  
TRICATI MEDICI.

P A R S I.

P R O E M I U M.

**R**æter celebrem illam, & vulgatissimam divisionem, quâ morbus in similarem, organicum, & communem, seu in morbum Intemperiei, Conformatio- nis, & solutæ Vnitatis tanquam in partes.

A

tuas

## 2 INTRICATI EXTRICATI.

suas **essentiales** dispergitur, famosa est & ea, quâ morbus in universalem, particularem, internum externum, primarium, secundarium, longum, brevem, acutum, non acutum, endemium, Epidemium, contagiosum, malignum, benignum, magnum, parvum, simplicem, compositum, connexum, separatum, consulum, complicatum &c. Tanquam in partes suas accidentales dividitur.

Singulas has morborum species, suas practicis in curando novi facere difficultates, nullam tamen majores, quam morbos complicatos. Et proinde etsi de utrisque quæpiam, fortè non cuivis æque obvia in collectaneis meis habeam, qua quoque non sine fructu hîc adduci possent, quoniam de illis tamen res clarior, & vulgatior est, de difficultatibus saltem in complicatorum curationibus occurrente, & nulli non practicantium plurimum negotij facessere solitis distinere, & si quis commodiori ratione eis obviari liceat, breviter examinare ratum habui.

In-

Inquiram verò omnium primò in morbi complicati naturam, hinc in eius differentias, inde in causam, postea in signatum diagnostica, tum prognostica, ac tandem descendam ad ipsam curationem- primùm in genere, postea verò in particuliari, adeoque tractatum hunc in duas partes distribuam, in quarum prima adducentur ea, quæ in præsentem rem saltem genericè dici valent, in altera verò illa omnia, quæ in prima tanquam in doctrina universalì dicta fuere, in exemplis seu casibus Medicis particularibus clarioris doctrinæ gratiâ demonstrabuntur.

## CAPUT I.

*Quid sit morbus Complicatus.*

**G**alenus lib. i. Meth. Med. cap. 5. mēminit in omni re querenda nomen ipsum primò assumi in disputationem debere. Acturus igitur Ego de morbis complicatis rectissimè fecero, si quid per morbum complicatum in tractatu hoc intellectum velim incomnium primò declaravero: Et

## 4 INTRICATI EXTRICATI.

intricatum quid quidem illum inferre, vox  
ipsa complicati innuere videtur, utpote  
mediante quam consulum quid, & difficul-  
ter extricabile exprimere vulgo solemus,  
quemadmodum id patet etiam in plica  
polonica, morbo Polonis endemio, pro-  
pterea sic dicto, quia in eo capilli sunt mi-  
cro modo complicati, & confusi, & in-  
extricabiles. Quid intricatum illud tamen  
determinate sit, non æque est patens.  
Stephanus Rodericus Castrensis in tracta-  
tu suo de Complexu Morb. cap. 4. dicit  
quidem morbum complicatum tunc dici,  
*cum duo vel plures morbi diversas occupant*  
*partes, vel certè diverso tempore affligunt,*  
cuiusmodi sunt uti exemplificat ille, ar-  
thritis *cum* nephritide, & plures febres  
v. g. duæ tertianæ unâ concurrentes, sed  
diverso tempore exacerbari solitæ. Ve-  
rūm acceptio ista, salvo Roderici judi-  
cio, mihi laxa nimis videtur, & Ethymo-  
logiæ nominis complicati, non æquè cor-  
respondere, utpote quæ intricatus quid,  
quam inferunt simpliciter diversas partes

occupantes, aut diverso tempore affligen-  
tes affectus, exprimere videtur; tales si-  
quidem affectus s̄æpe ijsdem remedijs, &  
methodo ordinariâ usurpatis facile percu-  
rantur, cui tamen tanta difficultas non  
inest, complicati verò affectus majorem  
difficultatem in volvere videntur, tantam  
nempe, ex qua difficile sit, se extricare,  
quemadmodum id etiam agnovisse vide-  
tur Guernerus Rolfinc. lib. I. Meth.  
Medicinae special. Comment. Sect. I.  
cap. 4. dum istorum affectuum naturam  
perpendens in hæc verba erumpit: *de his*  
*verò sententiam ferre, difficile est, & ardu-*  
*um.* Quid verò specialiter ardui inest  
affectibus methodo ordinariâ curabili-  
bus? profectò respectivè parùm: ut pro-  
pterea indubium sit, per morbum com-  
plicatum aliud quid intelligi debere,  
quam illud, quod in allegata descriptione  
expressit Radericus Castrensis: Quod  
proinde ut tandem determinetur, dico  
per Morbum Complicatum nihil aliud  
intelligi debere, quam talem affectum,

## 6 INTRICATI EXTRICATI.

qui pro sui curatione tale quid indicat, quod contraindicatur ab altero una concurrente affectu, adeoque ut ratio formalis morbi complicati sit indicatio, & contraindicatio ejusdem remedij; ubi quidem arduum illud, seu intricatum, quod inferre vocem complicati diximus, à quo vis facilè percipitur, esse nimirum indicationem, adeoque necessarium usum, & contraindicationem, adeoque prohibitionem ejusdem remedij. Quid verò difficilius, & intricatus, quam hoc ipsum? quemadmodum per decursum hujus tractatus pluribus demonstrabitur. Hoc tamen in allata descriptione advertendum velim, ut per ly contraindicatus non necessariò positiva contraindicatio, seu remedij positive contrarij indicatio intelligatur, sed sufficere privativam. Dantur siquidem affectus, qui complicatis, ob communem, quam cum indicantibus & positivè contraindicantibus habent in curando difficultatem, veniunt adnumerandi, et si ab una concurrente affectu

affectu nihil eis positivè contrarium con-  
 traindicetur, quemadmodum id videre  
 licet in angina gravidæ accidenti, quæ ra-  
 tione Venæ Sectionis, quam indicat,  
 morbus complicatus dici meretur, etsi  
 graviditas, cum qua concurret, & respe-  
 ctu cuius illa affectus, complicatus dici-  
 tur, nihil venæ Sectioni positivè contra-  
 rium indicet, verùm solùm vi Hippocra-  
 tici illius s. oph. 31. *Mulier in uteroferens*  
*venâ Sectâ abortit*, ei repugnat, seu si  
 mavis, privativè contraindicat. 2dò, ut  
 per ly altero una concurrente affectu, non  
 intelligantur solùm affectus, quos verè  
 præter naturam quid dicimus, verùm eti-  
 am alia quæcunque, quæ indicato alicui  
 remedio repugnantia sunt, sive deinde  
 re ipsâ quid præternaturale sint, sive non:  
 talia siquidem quoque accidentium, &  
 Symptomatum, consequenter affectuum  
 laco esse habenda author est ipse Galenus,  
 dum lib. I. ad Glauc. cap. 14. de aëre &  
 ætate ad prætens propositum sic laquitur:  
*aëris verò ambientis temperies, cum omnino*

## 8 INTRICATI EXTRICATI.

calida est ( qualis inter canis , & arcturi exortum , ) accidentis loco habenda est . Et paulò post . His verò ætas , tanquam Symptoma quodam , quod affatim evacuare prohibeat , annumerari potest . Ubi quidem aërem & ætatem esse quandoque Symptomatum , adeoque affectuum loco habenda , & si in re ipsa quid præter naturam non sunt , expreſſè innuitur , quod ipsum puta de ſexu , temperamento , corporis habitu , conſuetudine , regione , anni tempore , & ſimilibus , de quibus omnibus rurius ad propositum , Gal. I I . Meth. c. 14. uti & 8. Meth. c. 9. ſi quandoque contraindicantis vices ea ſubire contingit , eſſe ea nimirum sufficientia ad dandam morbo cum illis concurrenti complicati denominationem , et ſi ea re ipsâ inter præternaturalia communiter non recenſeantur , ſicut id jam dictum fuit etiam de graviditate ratione venæ Sectionis respectu anginæ , & aliàs dicetur de menstruis , lochijs , & ſimilibus . Niſi quis eos ſolum affectus propriè compli-

catos dicendos contenderet, qui reciprocè sibi, & positivè cuntraindicant, qualis est intemperies ventriculi frigida respectu intemperiei hepatis calidæ, quarum illa calida, hæc frigida, quæ sibi positivè sunt contraria, indicat, Cæteros verò solùm reductivè? Quod quidem per me etiam licet, quemadmodum & illud, si quis morbum complicatum, quò istas difficultates felicius evitaret, sic definire mallet, quod sit nimirum tunc, *cum moribus aliquis tale quid ad sui curationem, indicat, quod alteri una concurrenti affectui sit contrarium, id est noxiun.*

Neque refert, quòd taliter sequatur omnem morbum fore complicatum, cò quòd nullus sit, cui numquam in subiecto, in quo est, aliquod contraindicans, aut repugnans obtingeret. Si enim ei omnes prærogativæ ad morbum complicatum requisita competent, utique complicatus erit, sicut omne id homo est, cui competit esse animal rationale, cò, quòd esse animal rationale sint requisita

hominis. Quamvis tamen re ipsâ illis  
solum hoc nomen attribuendum velim,  
qui non saltem quodecumque levissimum,  
& inconsiderabile habent contraindi-  
cans, seu repugnans, sed tale, quod cu-  
rationem invertere validum est, & cuius  
respectu in curando non habito nequeat  
curatio salubriter, & citra notabile ægi-  
discrimen institui.

## CAPUT II.

*De Morbi complicati differentijs.*

**D**Eterminatâ morbi complicati natu-  
râ, proximum est in ejus differenti-  
as inquirere. Harum fortè plures indu-  
cere liceret quod si tamen ex saltem alle-  
gentur, quæ curationes notabilius varia-  
re valent, satis fore mihi pertuadeo. Vi-  
dentur verò esse potissimum : quod alij  
sint morbi complicati positivam ad se in-  
vicem in indicatis habentes contrarieta-  
tem, quemadmodum est talis intemperi-  
es ventriculi frigida coincidens cum he-  
patis intemperie calida, quos, uti dictum,

etiam

etiam solos propriè complicatos quis dicere posset. Alij, quorum indicatis id, cum quo concurrunt, nihil positivum contraindicat, sed salem repugnat, quos aliter etiam solum reductivè complicatos nominari posse dictum fuit, qualem esse anginam ratione venæ Sectionis respectu graviditatis in capite præcedente insinuatum est. Alij deinde sunt, qui in unico, ut præfata úentriculi frigida & hepatis calida intemperies, in ratione calidi aut frigidi: alijs in pluribus indicatis sibi contrariantur, Veluti si cuiquam prægnanti angina, aut febris quæpiam ardentissima accideret; tales enim affectus ad sui curationem non solum venæ Sectionem, verum etiam vietum tenvem postulant, quorum vero utrique repugnat graviditas.

Alij postmodum sunt, qui certo locum tempore accidentes reperiunt suorum indicatorum in subjecto repugnantiam, sicut esset phrenitis prægnanti accidentis, vel eadem angina ratione venæ Sectionis, cui graviditas non tam primis, uti

uti suo loco decebitur, quām posterioribus mensibus aduersatur. Idem est in illis affectibus, qui ad sui curationem ratione præsentis cacochimiae purgatione opus habent, tales enim tantum primis, & postremis, non verò intermedijs gestationis mensibus cum graviditate ratione purgationis contrarietatem habent; uti id pariter suo loco ex hippocratica doctrina patebit. Alij verò quotiescunque cum quopiam coincidunt, semper hoc ipso complicantur, quales sunt affectus diureticis pro sui curatione opus habentes, si gravidis accidunt, eò quod diuretica ex quorumdam opinione sint gravitati semper periculosa. Alij, qui omnes æqualiter, ut pleuritis cum vehementissima diarrhoea. Alij quorum alteruter magis urget altero, ut pleuritis à desfluente à capite pituita intra pleuram putrescente dependens, vel inflammatio hepatis, cum ventriculi frigiditate, quorum procul dubio pleuritis magis urget, quām desfluxio, inflammatio hepatis magis,

gis, quam ventriculi frigiditas. Alij de-  
nique, quorum unus ita cohæret alteri,  
ut hoc non prius ablato, nequeat auferri  
alter, qualis est inflammatio, respectu al-  
buginis oculi, aut in Enterocèle, her-  
nia specie, à peritonæi dilaceratione,  
intestini repositio, respectu consolida-  
tionis peritonæi.

Notandum tamen pro evitanda omni  
confusione, complicationem talibus affe-  
ctibus non quâcunque ratione acceptis,  
& quocunque modo in ordine ad id,  
cum quo complicari dicuntur, conside-  
ratis evenire, sed certo solum respectu,  
prout scilicet vel veram contraindicatio-  
nem, vel saltem repugnantiam alicujus  
sui indicati cum eo, cum quo concur-  
runt, habent: Sic Synanche gravissima  
anginæ species, si puerperæ lochia dimi-  
nutè fluentia habenti accidat, non quâ-  
cunque ratione, quatenus tenuem v. g.  
victum postulat, sed quatenus ob sum-  
mam vehementiam venæ sectionem  
mox in superioribus, uti tuo loco doce-  
bitur,

bitur, exigit, cui verò lochia diminuta repugnant, imò eandem venæ S. in inferioribus partibus contraindicant, complicata dicitur, idem puta de alijs simili modo.

## CAPUT III.

*De Morbi complicati causis.*

**D**E Morbi complicati causis non est multum, quod in genere dicam, eo, quod cædem causæ, quæ in corpus seorsim incidentes aptæ natæ sunt producere hunc vel illum contrarium affectum, si simul concurrant, producent affectus complicatos, quemadmodum id luculenter patet in intemperie toties memorata ventriculi frigida, & hepatis calida, ubi idem excessivus calor, qui seorsim concurrens in hepate excitat simpli-  
cem affectum, intemperiem nempe hepatis calidam (idem dico de frigore respectu ventriculi) ille ipse postmodum concurrens cum intemperie ventriculi frigida facit affectum compositum &

com-

complicatum, quæ est intemperies hepatis calida respectu intemperiei ventriculi frigidæ, & è contrà. Eodem modo eadem pituita, quæ sensim in corpore aggregata, & in venis majoribus putredinem concipiens producit febrim quotidianam continuam, affectum per se simplicem, si ei accedat bilis putrescens in venis, ut cum antiquis loquar, minoribus, aut extra eas, adeoque causa febris tertianæ intermittentis, facit hemitritæum, affectum compositum, & quoad suas causas complicatum, idem dic de bile in dictis locis putrescente respectu pituitæ in venis majoribus putrescentis, & sic de alijs. Qualiter verò causæ istæ producant simplices istos affectus, consulere licet Authores in hanc rem ex professo inquirentes. Carterùm, qui complicatum affectuum saltem genericam, & antecedentem causam scire desiderat, ei cum maximo non solùm fructu, verùm etiam voluptate legere licet L. Annæi Sennece Epistolam XCV. in qua (ut verba

ba ejus brevitatis causâ contraham ) que-  
niadmodum tot affectuum teorsim acci-  
dentiū unicam ferè causam afferit esse  
in eibo & potu intemperantiam , ita mo-  
re suo afficaciter probat simul concurren-  
tium , compositornm , & complicatorum  
morborum unicam causam esse variorum  
eduliorum in uno eodemque pastu mo-  
derno tempori conluetam assumptio-  
nem. Medicina , inquit , quondam pau-  
carum fuit scientia herbarum , quibus siste-  
retur fluens sanguis , vulnera coirent pau-  
latim , deinde in hanc pervenit multiplici-  
tatem &c. Postquam scilicet ciborum  
multiplicitas & superfluitas in consuetu-  
dinem venit. Simplex erat ex simplici  
causa valetudo : multos morbos multa fercu-  
la fecerunt , inde quantum rerum per unam  
gulam transiturarum permisceat luxuria  
terrarum marisque vastatrix ! necessè est ita-  
que intersectam diversa dissideant , & bau-  
sta male digerantur , alijs aliò nitentibus.  
Nec mirum , quod inconstans variusq; ex di-  
scordi cibo morbus est. Etrurius. Quomodo ista  
( fer-

(fercula scilicet) perplexa sunt, sic existim non singulares morbi nascuntur, sed inexpli- cabilis, diversi, multiformes, aduersus quos Medicina armare se cœpit, multis gene- ribus, multis observationibus, atque ita ampla evasit.

## CAPUT IV.

## De Morbi complicati diagnosi.

**I**N recta Morbi cognitione tantum Me- dico curanti possum est, ut planè in proverbium abjerit: *Morbus cognitus*, *Morbus curatus*, quod etsi absolute accep- ptum hyperbolicum quidem videatur, in re ipsâ tamen certum est, versato pra- cticeo ferè semper plus negotij faciliere re- stiam morbi cum sua causa cognitionem, quam ipsam ejus curationem. Ut adeò abs re non fuerit, in præsenti inter cetera quoque in morbi complicati cognitio- nem, quæ teste Tralliano l. 9. cap. i. est rectæ curationis fundamentum, & sine qua instar cœci se habet Medicans, inquirere. Quod ipsum quidem & sermonis ordo

postulat. Devenitur verò in talem cognitonem per sua signa, qualia quidem sunt vel præsentem morbi constitutionem designantia, & dicuntur diagnostica, vel præteritam, & vocantur anamnistica vel futuram & appellantur prognostica, atque defumuntur vel ex essentialiter inherentibus, vel consequentibus, id est Symptomatis, vel causis. Ut si quis immodicam bilem, aliósque acres & vitiolos succos simul & confertim per superna & inferna excernat, signum ex ipsa morbi essentia defumptum est, cum laborare cholera humida, si quis linguam & fauces habeat intenſè aridas, siti torqueatur, æstuque inextinguibili, atque capitidis dolore, signum ex consequentibus defumptum est, eum febre ardente detineri. A causis tandem defumptum signum est, si quis in victu, præcipue crudis frigidisque à longiori tempore delectabatur, signum est, cum laborare morbo frigido, præcipue si ei & alia correponeant, veluti est ætas proœcta, anni tempus frigidum, & similia.

Neque tamen nobis de omnibus tribus istis signorum generibus in praesenti quaestio est, sed saltem de diagnosticis, seu actuali morbi naturam, constitutionemque designantibus.

Si quis proinde in morbi complicati cognitionem venire vellet, ad quid eum respicere expediret? Dico quod ad ejusdem naturam, seu essentiam. Quandoquidem ergo superius capite 2. diximus eam in indicatione & contraindicatione ejusdem remedij consistere, ubi cumque ea occurrerit, signum evidens ab essentia, seu essentialiter inherentibus presumptum erit, ibidem esse morbum complicatum. Quod quidem saltem conjecturare licet quoque ex causis, si ex contrariæ sint, vel etiam symptomatis, si quæ contraria occurrant, de quibus vero suo loco.

## CAPUT V.

*De Morbi complicati prognosi.*

**C**ognito sic Morbo, & suâ causâ aliud quidem super esse non videtur, quam mox ad curationem devenire, quoniam illa tamen semper æqualiter non succedit, sed nunc citius nunc tardius, nunc facilis, nunc difficilis, quandóque etiam planè non, ut adeò Medicus, priusquam curam ineat, se certâ prognosi non muniens, si curationis eventus fortè ægri, astantiúmve expectationi minus correspondet, facile culpari tanquam improvidus, imò ignarus posset, vel etiam occisoris nomen incurrere, quemadmodum, id in Comment. i. ad prognostica Hip. memorat Galenus accidisse aliquando cuiquam Medico, qui juvenem *Synopticos* sudantem deduxit ad balneum, sudore etiam largè fluente galvitus est, paulò pòst verò Mortuo ægro à familiaribus, tanquam ægrum interfecit, accusabatur. Ne tale quid, inquam,

ex non datâ prius de morbi eventu pro-  
gnosi, seu prædictione, fortè & nobis  
accidat, consultum omnino videtur, de  
ea, priusquam ad curationem ipsam de-  
veniamus, quæpiam in Medium afferre.  
Verum enim verò, in genere video pa-  
rùm de ea adduci posse, utpote, quæ ab  
affectionibus potius in particulari dependet,  
de quibus verò primò in altera ( si DEus  
volet ) hujus tractatûs parte, quò pro-  
pterea etiam B. L. ablego, interea in ge-  
nere hoc saltem cum monens, quòd quò  
graviores & periculosiores sunt affectus  
complicati secundùm se, & seorsim ac-  
cidentes, tantò deterius est etiam de eis  
fentiendum, dum simul concurrunt, &  
complicatorum nomen assumunt. Imò  
perspè et si etiam de se & soli periculum  
quasi nullum, vel saltem non tantum  
præferrent, si tamen simul concurrant,  
ob curationis propter contrarias indica-  
tiones difficultatem, possunt fieri quām  
periculosissimi. Vnde cautè in prædi-  
cendo, ut iteratò moneam, procedere,

& præcipue salutem promittere aportet, cò quòd læpe, uti habet Guern. Rofinc. *Latens Morbus & vires suas occultans insidias struit vitæ.* Nusquam tuta fides, semper adversa Metuenda, etiam si bona apereant spes. Et sicut habet Hipp. Quemadmodum si prosperè tibi succedet prædicio, admirationi eris ægrotanti ob solertiam, ita è contra, si tibi non corresponebit, super quam, quòd invisus eris, fortassis etiam insanivisse putateris. Conantur quidem contra jam dicta demonstrare quipiam, affectus simul concurrentes & compositos esse meliores, quam verò simplices, & seorsim accidentes, consequenter non habere prognosim deteriorem. Conantur in quam, hoc probare ex ipso Hip. 2. aph. 26. ubi dicit: *febrem convulsioni supervenire, bono esse.* Item si ebrius quipiam repente obmutescat, convulsus moritur, nisi febre corripiatur. Eodem modo s. aph. 70. Qui quartanà corripiuntur, non admodum convulsionibus tentantur: si verò prijs tentati fuerint, superveniente

niente quartanâ liberantur. Pariter 6.  
 aph. 40. Quibus ad hypochondrium do-  
 lor est sine inflammatione, ijs febris superve-  
 niens dolorem solvit. Ex quibus apparere  
 dicunt, convulsionem, ebrietatem, epi-  
 lepsiam & hypochondriorum dolorem,  
 qui nimirum à causa frigida est, fieri me-  
 lioris conditionis, si eis febris superveni-  
 at, quam si seorsim affligant, quod ip-  
 sum puta etiam de febre apoplexiæ super-  
 veniente, de qua idem Hippocrates 6.  
 aph. 51. verum bene id ipsis solvit Ste-  
 phanus Roder. Castrensis de complex.  
 Morb. cap. 8. dicendo: id bene quidem  
 aliquando verum esse, dum nimirum ta-  
 les affectus concurrunt, quorum unus al-  
 terum corrigere valet, qualis est febris re-  
 spectu allegatae convulsionis, Epilepsia,  
 ebrietatis, dolorum in hypochondrijs à  
 causa frigida, & apoplexiæ, non sic vero  
 dum affectus concurrunt sed in vicem non  
 corrigentes, quemadmodum id videre  
 est in hydrope, quæ febrim sibi habet  
 conjunctam, ex qua iste teste Hip. 2. Pro-

gnost. I. deterior redditur, quia febris nimirum vires depascit, & tamen hydro- pem extra venas stabulantem non immi- nuit, vel saltem non efficaciter. Idem est de hepatis intemperie calida, & ven- triculi frigida, si seorsim, & utrumlibet solum sit in corpore, sine singulari diffi- cultate per interna, & per externa op- pugnatur; dum vero simul concurrunt non item, quia succurrendo uni nocetur alteri, medicamentis intrò sumptis via circulationis ad utrumque necessariò per- tingentibus.

## C A P U T VI.

### *De Morbum Complicatum curandi ra- tione ex Communi sententia.*

**N**VNC igitur tandem ad curationem ipsam. Galenus in Meth. Med. & communiter Dogmatici omnes in ea sunt (ut universam Medendi Methodum in unam summam contraham) tanquam ir- refutabili sententia, in omni recta cura- tione istud, ut *laetissimum quid obser-*  
*vari*

vari debere: ut id quod præter naturam est, qualis censetur esse morbus, morbi causa, & Symptoma, auferatur, illud verò quod secundum naturam est, conservetur. Media verò quibus id consequi licet, esse ei, quod præter naturam est, contrarium, juxta Hippocratis illud lib. de Flat. *Contraria contrariorum sunt remedia;* & ei, quod secundum naturam est, simile; juxta rursus receptum illud: *similia similibus conservantur.*

Ne in talium usu verò quis facilè aberret, tanquam pro cynosura, & regolamento unico ei esse debere certas indicationes, sic dictas, eò quod id, quod agendum est Medico indicent, & demonstrent.

Desumi verò tales indicationes debere à morbo, causa morbi, & viribus, quorum quia illa duo sunt quid præter naturam, vires verò quid secundum naturam, dictum etiam fuit, id quod præter naturam est, debere per sibi contrarium expugnari, id verò quod secundum natu-

ram est, per sibi simile conservari; Consequens est, quod quotiescumque in subiecto aliquo morbus, aut causa morbi reperitur, indicatio ad sit eorum, quae tali morbo, aut ejus causæ contraria sunt, & quoties vires reperiuntur justò debiliores, indicationem esse similiū; adeoque, si bilis, aut alijs quispiam humor sit causa morbi, bilem esse, aut alium illum, qui peccat, humorem per quid bili, alterius illi, humoris oppositum medium ē corpore educendum. Si vires sunt justo debiliores, eas esse per aptam vietū regulam, & restaurantia dicta medicamenta, tanquam per similia resartiendas. Et talia contraria, aut similia, quae taliter mediantibus indicacionibus agenda monstrantur, solent vocare indicata.

Vlterius: quod persistente adhuc easā impossibile videatur, aut saltem frustraneū, velle tollere affectum, utpote qui ab ea causa aut continenter conservatur, aut facile rursus regeneratur; volunt in-

memoratis indicatis eum ordinem servari debere, ut semper prius expugnetur morbi causa, & postea primò, si adhac persistat morbus, quemadmodum cum quandoque ablatâ etiam causâ adhuc perdurare testis est Galenus I. de lac. affect. c. 2. esse appugnandum etiam morbum ipsum. *Causa omnis prius Methodo rectâ excindi, & summoveri debet: & si ex plures sint, ab ea curationis ducto exordio, quæ ortu prima, investigatione verò postrema fuerit inventa.* Fern. Meth. M. c. 4.

Ilo solùm excepto casu, ubi magnum aliquod impedimentum intervenit, qualia sunt quandoque certa Symptomata, sive deinde ea mox cum morbo, quem curandum habes, inchoârint, sive postmodum ei supervenerint, adeò vehementia, ut nisi eis mox prospiciatur, ægro moximum inferant periculum, quales sunt quandoque vigiliæ continuæ, dolores atrocissimi, evacuationes capiosissimæ, animi deliquia, convulsiones & similia, quibus nisi mox prospicias, relicta

& morbi causâ, & morbo ipso, vires usque ad ægri internctionem depaſcent, adeoque tempus, quo causam & morbum expugnes, tibi non permittent. Veliuti de eo rursus citatus Fernelius Meth. M. c. 6. *Sæviori quoque Symptomati*, quod vires nimiopere convellat, aut etiam proſternat, imprimis diligentérque succuren- dum, morbo etiam interdum prætermisſo. Atque talem methodum centent servari debere in affectibus quibuscumque ſimplicibus, & ſeorsim accidentibus.

Vbi verò contingit plures affectus, adeoque etiam plures causas concurrere, tunc esse quidem & tunc, niſi quid, uti dictum, magni interveniat, curam à cau- fæ oppugnatione inchoandam, ſed neque temper à cuiuscunque affectuſ pro libi- tu, neque ab omnium cauſis ſimul, ſed eſte prius dilpiciendum, cuiusnam natu- ræ illi affectus ſint, & qualiter ad invicem ſe habeant? an nimirum unius curatio al- terius curationi obſtare poſſit, vel non? Et ſi ita; an reciprocè etiam alterius cu- ratio

ratio hujus, curationi obesset, vel non ?  
2dò an affectus illi quoad periculum,  
quod minantur, æquales sibi sint, vel  
non sint sibi æquales, sed quispiam eorum  
magis urgeat ? id, quod quidem ex  
eorum magnitudine ad invicem compa-  
rata & teste Gal. 7. Meth. c. 12. ex cuius-  
vis affectus *propria essentia*, *læsæ partis præ-*  
*fluntia*, & *affectæ facultatis nostrum corpus*  
*gubernantia eminentia* majore vel minore  
delumenda, coniçere posse censem; aut  
magis quidem non urgeat, talis tamen  
sit, quo non prius sublato, nequeat per-  
curari alter. His sic præcognitis, si af-  
fectus illi tales deprehenduntur, quorum  
nullius curatio alteri obesse potest, qua-  
lis est E. G. affectus quiscunque in oculo,  
& vulnus in pede, aut hepatis intempe-  
ries frigida, cum obstructione à materia  
pituitosa ortum ducente, aut etiam ocu-  
lus simul & albugine, & suffusione deten-  
tus, tunc licere pro lubitu à cujuscunque  
affectus causa curam exordiri, & vel  
utrumque eodem tempore & simul op-  
pu-

pugnare, vel diverso tempore, & le-  
orsim.

Si vero affectus illi aliquam ad se invi-  
cem oppositionem haberent, & eam qui-  
dem non reciprocum, id est unum qui-  
dem liceret curare absque offensa alterius,  
non vero econtra, uti se habet E. G. oph-  
thalmia respectu albuginis, quarum illa  
potest curari absque singulari exacerba-  
tione hujus, non vero haec tanquam de-  
tergentia acria, & propterea inflammatione  
augentia pro sui curatione postu-  
lans, absque offensa illius; tunc ab eo  
curandi inchoari expedire, cuius curatio  
alteri non officere censeretur. Idem pu-  
ta & de illo casu, ubi unus affectus non  
ablato prius altero, percurari nequirit,  
qualis est E. G. phlegmone in ulcere re-  
spectu ulceris, quo in casu propterea do-  
cente Galeno l. 3. Artis Medic. apud Ju-  
lium Delphinum curam non ab ulcere,  
sed a phlegmone ordiri covenit. Et qui-  
dem si aliqua inflammatio, vel astritio,  
aut tumor praedurus, vel mollis, vel laxa-

cum ulceræ fuerint, prius eorum curationi intendere oportet. Sic & si aliquid ulceri illabitur, ad illabentium curationem inten-  
dendum. Eodem pariter modo, si aliqua  
intemperies ulceratum locum oblederit, ad  
eiusdem intemperiei remedia antea venien-  
dum, similiter & in hernia intestinali en-  
terocele dicta, & quandoque à rupto pe-  
ritonæo morbo in continui solutione or-  
tum ducente, curationem non à perito-  
næi consolidatione, sed intestini reposi-  
tione inchoare conveniens est.

Vbi verò affectus illi ita dissentirent, ut  
unius curatio alterius curationi officere  
videretur & econtrà, atque adeò neu-  
trum sine alterius exacerbatione curare li-  
ceret, tunc quisnam affectus ex illis ma-  
gis urgeat, vel an æqualiter omnes urge-  
ant, esset diphiciendum: atque si unus al-  
tero magis urgeret; tum ab eo inchoan-  
da esset curatio, qui magis urgere vide-  
retur. Ubi namque à quoquam affectuum  
non leve periculum instat, ad id quod urget,  
dirigi primum curantis consilium debet, Gal.  
7. Meth. c. 12.

Si

Si verò æqualiter urgerent, ad omnes quidem cura æqualiter veniret dirigenda, sed pro possibili evitando, ne ullus eorum per alterius curationem offenderetur. Id quod quidem præcaveri non ita difficulter posse existimant, si curatio ad aliquem ex sequentibus modis instituatur: Si quis nimirum aut curam nunc ad hunc, nunc ad illum affectum dirigat, adcoque nunc usurpet hoc, nunc illud contrarium. Aut sibi eligat medicamenta mera temperata. Aut denique utatur contrarijs invicem permistis.

Et hisce modis dicunt omnes affectus feliciter percurati posse, qualiacunque etiam contraria ad sui curationem expolcant.

Affectus quandoquidem omnes, prouti paulò antè dictum fuit, vel sunt tales, qui omnes æqualiter urgent, vel tales, quorum aliquis magis urget cæteris, aut qui magis quidem de se non urget, talis tamen est, ut eo prius non sublato nequeat expugnari alter.

Si tales, ut aliquis eorum magis urgeat  
cateris, aut talis est, quo non prius per-  
curato, neque afferri alter; tunc pos-  
se curationem ad illum solum primariò  
dirigi, altero interea quasi neglecto. Ex  
quo quidem et si illud oriatur incommo-  
di, quod alter affectus interea incremen-  
tum sumere possit, id tamen Authore Da-  
niele Sennerto l. 5. Instit. Med. Sect. I.  
c. 4. tanquam quid tale, quod impedire  
non licet, non adeò curandum. *Etsi*  
*enim*, inquit ille, *ita alterius cura impe-  
diatur, & protrabatur, melius tamen est*  
*ægrum cum aliquo damno & mora curare,*  
*morbiumque prorogare, quam ægrum jugu-  
lare, aut in præsens vitæ discrimen inducere.*

Quod si verò affectus sint tales, qui  
omnes æqualiter urgeant, adeoque ex  
sententia Gal. l. 3. de Sanituenda simul  
curari velint: *quod si æqualiter pollentes*  
*videris, pari studio est utrique consulendum,*  
*tunc quadrare ex modis tribus allegatis*  
*quemcunque: sive enim nunc oppugnes*  
*hunc affectum cum suo contrario, nunc*

alterum cum suo, adeoque alternatim usurpes nunc hoc, nunc illud contrarium; Sive utaris temperatis, contrarijsue invicem permistis, contrarietatem nullam incurris, & tamen utriusque affectus contraria indicationi tatisfacis. Quò sonat doctissimi Fernellij illud : l. i. Meth. Med. c. 5. quum impliciti, aut compositi morbi omnino dissentiant, neque prorsus huic aut illi, sed utrique Mediocritate quadam, & contrariorum permissione succurrendum. Sic etiam ventriculum frigidorem, & jecur calidius temperata juvant, quæque ex calidis frigidisque constant, & modò horum, modò illorum usus alternatus. Et paulò post: quum impliciti morbi partim consentiant, partim dissentiant, ab eo auspicandum, cuius curatio alteri haud quaquam officiat, & ab eo, sine quo alterius curatio compleri nequeat. Et rursus c. 6. In affectuum connexione ab eo auspicanda curatio, à quo maximè ægro periculum impendet, in eumque primùm medentis consilium dirigi debet. Vbi quidem per ly: mediocritate quadam, &

cont.

*contrariorum permissoне exprimitur modus procedendi per temperata, & contraria invicem permista.* Per ly: *modò horum, modò illorum usus alternatus, verò usus nunc hujus, nunc illius contrarij.* Et tandem per ly: *ab eo ausplicandum, cuius curatio alteri haud officiat &c.* Modus primus, quo unus solus affectus recipiatur, neglecto interea altero.

Et taliter se sufficienter, qualiter qualescunque, adeoque etiam complicatorum, quos sub nomine dissentientium, & partim dissentientiū, partim non dissentientium comprehendere videtur Fernelius, affectuum curationes rectè institui possint, demonstrasse existimant.

Verum enim verò, quemadmodum Methodum istam valde esse speciosam, & rationi contentaneam, negare non ausim, ita allegatos quatuor modos, quibus id, quod dicta Methodus suadet, exequendum existimant, omnino approbare, aut ut prorsus dictæ nostræ complicatorum affectuum curationi sufficientibus

aquietcere Ego non valco. Ut taceam  
enim, quòd modus ille, qui cum tem-  
peratis contrarios affectus curandos vult,  
sit invalidus, adeóque teste Paulo de Sor-  
bait proxeos suæ Med. tract. 6. c. 10.  
quæst. 56. nullatenus practicandus, quod  
ipsum scèrè putā de contrarijs ( si tamen in  
qualitatum intensione æqualia intelligas)  
inter se permistis; dubito an, si nunc  
hunc nunc illum contrarium affectum  
oppugnaveris cum duobus contrarijs, ali-  
quid dignum effecturus sis, nec non? quia  
si affectus isti radicati valde sunt, certè ni-  
si eis constanter insistas, nil proficies: ut  
taceam, quòd etiam sic succurrendo hu-  
ic exempli gr. in concurso intemperiei  
ventriculi frigidæ, & hepatis calidæ suc-  
currendo nunc hepatis caliditati simplici-  
ter per frigida, nunc ventriculi frigiditati  
simpliciter per calida, cùm vi circulatio-  
nis idem remedium ad utramque partem  
pertingat, adeóque utramque afficiat; fa-  
cile impingere possis, nisi id alio quopi-  
am modo, de quo verò capite sequenti,  
præcavcas.

Est verum quidem, quod in illis casibus, ubi unus affectus magis urget altero, aut talis est, quo non prius sublatio, nequeat percurari alter, difficultas præter allegatam illam, sed teste Sennerto inevitabilem, tanta non sit: sed difficultas major est in eis casibus, ubi uterque affectus æqualiter urget, adeoque simul curari desiderat, quod verò vetat indicatorum pro utriusque curatione remediorum oppositio, quæ proinde arte quâpiam & astutiâ singulari venit priùs submovenda.

Non verò eam submoveri posse neque per temperata, neque per contraria invicem permista ( de alternato enim contrariorum usu jam dictum: ) Imò Modum istum practicandi per temperata planè esse invalidum, probatur authoritate tum Hip. tum Galeni, & illius quidem lib. de flatibus, & 2. aph. 22. ubi *contraria contrariorum esse remedia statuit.* Hujus verò l. 3. de simpl. Med. fac. c. 12. ubi per temperata nullam fieri contrariorum ad moderationem reductionem expreſſè

docet, sed inter remedia indicata ad asse-  
ctus expugnandos tanquam agentis ad  
passum contrarietatem proportionatam  
requirit, exemplo aquæ tepidæ, quæ fri-  
gidæ affusa eam nunquam reddit tempe-  
ratam, sed ad id fervens requiritur. Et  
enim quidquid curari debet, tanquam quod  
ab immoderatione, seu ametria, ad commo-  
derationem seu symetriam reducitur, non  
id quod bene temperatum sit, requirit, ve-  
rūm id, quod contrariam habeat tempera-  
turam. Sed advertere aportet, quod  
quando in Medicina aliquid tale, aut tale  
dicitur, dicatur id teste Gal. I. de Medic.  
Fac. c. 2 tale respectu hominis considera-  
tum, & non simpliciter. Si igitur, po-  
namus, rursus in concursu intemperiei  
ventriculi frigidæ, & hepatis calidæ, istæ  
intemperies respectu hominis Petri, aut  
Pauli sunt intemperatum quid, & excel-  
sivum, quomodo reducentur ad tempe-  
riem, & moderationem ab aliquo respe-  
ctu ejusdem Petri aut Pauli maderato &  
temperato medicamento, quod corun-  
dem

dem reactionem non solum non vincit,  
sed ne quidem adæquat?

Cum contrarijs invicem permisisti **teres**  
quidem non nihil aliter habet, si consideremus ea non uno, sed varijs modis  
permisceri posse, & vel ita, ut ea, quæ  
invicem miscentur sint in qualitatibus,  
quas intendimus, æqualis intensionis,  
vel inæqualis intensionis, ita ut unum extre-  
morum sit intensius altero. Sed pro-  
fectò si quis contraria æqualis intensionis  
invicem permiscere intendat, & cum illis  
contrarios affectus oppugnare aggredia-  
tur, timeo, ne ipsi eat, sicut illi, qui in  
temperatis suam fiduciam posuit. Et de-  
inde ex eo quæro, si in concursu intem-  
periei ventriculi frigidæ, & hepatis cali-  
dæ mitceat, ponamus, endiviam secun-  
do gradu frigidam, & absynthium eodem  
gradu calidum, & cum ijs dictas duas in-  
temperies oppugnare aggrediatur, ista  
duo contraria sic exhibita vel calefacent  
ventriculum, idem puta de hepate, vel  
refrigerabunt, vel utrumque efficient,

calefacent scilicet, & refrigerabunt? Si calefacent solum aut refrigerabunt ventriculum, idem certe & in hepate efficiunt (quia non videtur esse major ratio de uno, quam de altero propter circulationem, quam mediante utrumque, & ad ventriculum, & ad hepar pertingit) adeoque intemperiem illis impressam non auferent. Si autem ubique utrumque efficiunt? ergo nullibi quicquam proficient, calefacere si quidem & refrigerare simul eandem partem, nec est calefacere, nec refrigerare, quod tamen in tali casu est intentum. Neque quis sibi persuadeat, ab absynthio solum ventriculum calefactum, & ab endivia solum hepar refrigeratum iri: quis enim tunc endivie refrigerandi etiam ventriculum vim ligabit? quod ipsum dico similiter de absynthio respectu hepatis. Si dicas ex Gal. 3. de Simpl. Med. fac. c. 16. ea medium aliquem inter frigidum & calidum effectum utrobius prodoctura? quid iste effectus ad propositum? cum intendamus in tali

casu non medium aliquem talem effe-  
ctum, sed in ventriculo frigidi excessivi,  
& in hepate calidi immoderati ad mode-  
ratum, & naturæ proportionatum mu-  
tationem.

Quod si verò per contrariorum permi-  
ssionem talem permissionem intelligas,  
ubi unum contrarium superet alterum,  
tunc processum talem esse quidem vali-  
dum saltem in illis casibus, ubi unum af-  
fectum præ altero respicere licet, tibi ul-  
trò permitto; sed taliter non uterque affe-  
ctus æqualiter oppugnabitur; ut propte-  
reà, ubi uterque venit æqualiter oppu-  
gnandus, adhuc tamen aliâ arte sit opus.

## CAPUT VII.

*De Morbum complicatum curandi ra-  
tione ex propria sententia.*

**E**X transacto igitur capite constat, Me-  
dico complicatos affectus curaturo  
non satis esse, quòd sciat inter affectus in-  
æqualiter urgentes, ad difficultatem ex  
oppositis remedijs resultantē evitandam,

ad urgentiorem esse curam primariò diri-  
gendarum, inter æqualiter urgentes verò,  
sed in curatione dissentientes, ad utrum-  
que quidem esse curam primariò dirigen-  
dam, sed ne cum alterutrius exacerbatio-  
ne, seu offensa, ob contraria, quæ tunc  
indicantur, remedia id fiat, posse illud vel  
præcaveri per usum temperatorum tan-  
quam utriusque affectui contrariorum, vel  
per usurpationem contrariorum invicem  
permistorum, vel per adhibitionem nunc  
hujus, nunc illius contrarij, sed ad id ad-  
huc ulteriore scientiâ esse opus. Nunc  
igitur demonstrandum supereft, in quo  
nam tandem scientia illa consistat? Ad  
quod quidem repondeo citra moram,  
eam, consistere potissimum in certa qua-  
dam, & maximè artificio remediiorum  
electione, & astuto quodam vulgaribus  
Medicastris ignoto eorundem usu. Ve-  
rū ad ista exactius intelligenda suppono  
primò: Medicamenta non solum omnia  
non esse ejusdem activitatis seu virtutis,  
si quidem alia sunt calida, alia frigida, alia  
alte-

alterius qualitatis, verum neque intra e-  
andem speciem, puta, calidorum, frigi-  
dorum, aut aliorum, omnia esse æqua-  
lis, aut ejusdem virtutis, eò quod quæpi-  
am ex illis intensiora sunt in qualitate,  
quam indicatio postulat, quæpiam remis-  
siora, quæpiam vero planè alias sibi ha-  
bent conjunctas, & fortè unà concur-  
renti indicationi, seu contraindicationi  
contrarias qualitates: teste siquidem Gal.  
3. de simpl. Medic. facult. c. 14. ex me-  
dicamentis nullum propemodum est,  
quod non pluribus simul & quandoque  
planè contrarijs polleat facultatibus.

2dò Non unicum esse unius virtutis  
medicamentum sed plura sic non unica  
*aqua* est refrigerans, aut *ignis* calefactivus,  
sed alia plura, ut *portulaca*, *lactuca*, *absin-  
thium*, *piper* &c.

3tiò Medicamenta teste Gal. l. 10.  
Meth. Med. c. 10. alias virtutes posside-  
re per se, alias per accidens, adeò, ut læ-  
pe ea, quæ de se frigida sunt, calefacere  
valeant, & quæ calida refrigerare, quem-  
ad-

admodum id idem asterit de *venæ Sectio-*  
*ne* per se neque calida, neque frigida,  
Item *de purgantibus, clysteribus, fomentis*  
& *cataplasmatibus calidis &c.*

4tò Medicamenta alios effectus edere  
per se, & seorsim usurpata, alios cum ali-  
js. Sic *aerugo* per se usurpata ulcera ni-  
miùm corrodit, & profundiora reddit,  
dolorēmque excitat, usurpata verò cum  
*oleo & cera* in unguenti formam redactis,  
ea non solùm non corrodit, sed teste Dio-  
scoride, feliciter persanat. *Scammonium*  
etiam & *turbit* per se cor, ventriculum,  
& intestina offendunt, si verò cum sto-  
machicis, & cardiacis, qualiter fit in Ele-  
ctuario Indo majori *Mesuæ*, permisceant-  
tur, medicamenta tuta euadunt.

5tò Alios hoc modo usurpata, alios  
alio modo: veluti *leporis coagulum*, post  
menstruas purgationes vulvæ suppositum  
cum butyro conceptionem juvare credi-  
tur, potum ècontrà partum enecare.  
De *lactuca* etiam in consilio suo diætetico  
tradit Baltazar Thimæus von Guld-

Denkleē / quōd ejus succus expressus quatuor cochlearium mensurā assumptus veneni instar hominem subitō interficiat , herba verò majori copiâ , quām pro succo quatuor cochlearium opus est , comesta damnū nullum afferat , & rationem addit , quōd herba diu in ventriculo detineatur , succus autem expressus subitō misceatur tanguini , cordique communicetur.

6tō Alios in his circumstantijs , alios in alijs circumstantijs : quemadmodum rectè priùs dictum *leporis coagulum* , quod teste Dioscoride potum à gravida , ei fætum enecat , à puerpera verò sterilitatem inducit.

Adeoque , ut sensim collimemus ad propositum , licere Medico occurrente occasione uti vel hoc , vel alio numero occurrenti indicationi satisfacere valenti medicamento , & eo quidem vel satisfaciente per se , vel satisfaciente per accidens , & usurpare illud posse vel simplex & seorsim , vel cum alijs permistum , seu com-

compositum , & vel tale , quale à natu-  
ra est , vel certo modo præparatum , hoc  
vel illo modo , hâc vel illâ formâ . Qui-  
bus sic præsuppositis dico , quod si Medi-  
cum contingat incidere in curandos ta-  
les affectus , quorum oppositæ sunt indi-  
cationes , adeoque tales , ut eorum nulli  
possit satisfacere citra offendam alterius ,  
non eum Medium unquam melius ad si-  
milem difficultatem superandam reper-  
turum , quâm si vel tales materias sibi eli-  
gat , quæ habeant quidem virtutem di-  
ctarum indicationum uni satisfaciendi ,  
sed absque offensa alterius , quemadmo-  
dum tales dari rectè jam diximus , & ad-  
ducemus in sequentibus quamplurimas ,  
vel conetur eis tali aliquo modo uti , quo  
modo satisfacient uni dictarum indica-  
tionum , & tamen , non offendent alte-  
ram ; id quòd quidem , ut fateor ipse ,  
difficilè est conceptu , id tamen ita fieri  
posse patet inductione : sic si ei occurrat  
ob præsentiam humoris serosi in præ-  
gnante hydragogi indicatio , & sciat qui-  
dem

dem elaterium seu *cucumeris asinini* in  
*spissatum succum* esse materiam aptam tali  
indicationi satisfacere, verum ob maxi-  
mam, quâ pollet vehementiam, acrimo-  
niam, & quasi venenatam naturam, non  
citra manifestum fætus interimendi per-  
iculum, melius tale incommodum non  
præcavebit, quam si dicti *elaterij* loco ta-  
le quid eligat quod idem ipsum quidem  
quoad *hydragogi* indicationem præsta-  
re validum sit, quod *elaterium*, tanquam  
non præditum tamē dictis fætui in tali ca-  
su contra indicantis vices gerenti noxijs  
qualitatibus, citrâ fætus interimendi pe-  
riculum: quemadmodum istud posset  
præstare *mechoacanna* *hydragogophleg-*  
*magoga*, vel ipsis etiam infantibus, teste  
*Schrædero* *secura*, adeoque in simili casu  
præ *elaterio* eligenda.

Pari modo si in homine melancholico  
& viribus valde destituto occurreret ob  
præsentiam *cacochymiae* melancholicæ  
indicatio melanagogi, & Medicus sci-  
ret quidem talem esse *belleborum nigrum*,

verùm suam operationem cum non solere præstare, nisi cum magna virium jaetura, istud in commodum non melius evitaret, quām si hellebore loco tale aliquid melanagogum eligeret, quod in ratione evacuandi humoris melancholici idem ipsum quidem præstare validum esset, quod helleborus, sed non cum ea violentia, adeoque cum tanto virium desperdendarum periculo, quām helleborus: qualis posset quidem esse *senna* cuius cunque ætati, & cuicunque sexui secura.

Similiter: si ob præsentiam humoris pituitosi occurreret indicatio phlegmagogi, & ob maximam, quā pollet vehementiam, & cum visceribus contrarietatem quis metueret uti *Colocynthide*, providentiūs non faceret, quām si ejus loco aliud aliquod phegmagogum eligeret, quod dictæ phlegmagogi indicationi quidem æquè satisfacere posset, ac *colocynthis*, verùm citra eam, quam *colocynthis* exercere solet vehementiam, & viscerum noxam: quem in finem quidem scilicet

seligi posset, *agaricus*, *mechoacanna*, aut simile aliquod mitius phlegmagogum, aut certè si ei ob defectum v. g. agarici aut alterius mitioris phlegmagogi, necessariò utendum esset *Colocynthide*, deberet eâ non uti simplici, sed compositâ atque cum talibus permistâ, quæ dictam ejus viribus & visceribus noxiā qualitatem corrigerent, atque adeò efficerent, ut eadē *colocynthis*, quæ per se usurpata satisfaciendo indicationi phlegmagogi ob esset viribus & visceribus, in tali casu contraindicantis vices agentibus, cum dictis permista non obesset: qualiter quidem correcta communiter vocatur *trochisci albandali*.

Idem esset, si ob præsentiam *cacochymiae* biliosæ adesset indicatio cholagogi, & sciret Medicus *Scammonium* ad id per commodum quidem esse, verūm magnæ acrimoniæ medicamentum, intenſæ caliditatis, & siccitatis, infensa malignitatis, mordacis flatulentiaæ, excessivæ attractionis, adeoque aptum natum, quod intestina erro-

dat, viscera cor, epar &c. Conturbet, ventriculum flatibus mordacibus lacescat, visus calefactoria, & exsiccatoria inflammet, & consequenter febres producat, vi attractoria hypercathartes introducat, adeoque satisfaciendo indicationi cholagogi multorum aliorum incommodorum causa esse possit; quam ratione istud melius evitabit? quam si Scammonij loco aliud quod piäm cholagogum eligit, quod indicationi cholagogi æquè quidem satisfacere valeat, quod Scammonium ipsum, cum adjunctis tamen sibi cæteris qualitatibus visceribus & viribus in simili casu contradicantibus, seu repugnantis vices habentibus admodum insensum non sit, atque Scammonium; quale est rhabarbarum, tamarindi, manna & similia. Vel certe si eo necessario uti debet utatur non tali, quale in se ex natura sua est, sed correcto, & preparato, atque dictis suis prævis qualitatibus exuto, qualiter correctum & præparatum communiter diagridium dici solet.

Idem

Idem ipsum puta & de ijs, quæ per se, aut per accidens operantur, hoc, aut illo modo usurpata, hunc, vel alium effectum producere valent; etiam nimisrum in his dictam artificiosam electionem, & astutum usum ad superandas multas difficultates ex contrarijs indicationibus emere solitas, valere, quemadmodum etiam eorum exempla inequentibus plura afferremus, ut nimisrum taliter indubie pateat artificiosam inter remedia electionem, & astutum quemdam eorundem remediorum usum esse præ omnibus reliquis optima & certissima complicatorum affectuum rectæ instituendæ curationis media, & quarumcunque in ea occurrentium difficultatum promptè superandatum. Quæ artificiosa electio proinde, & astutus remediorum usus, ut tanto facilius instituantur, in sequentibus singula medicamenta per se & ad invicem considerabimus, ut ex inde nimisrum tanto clarius pateat, quid loco alterius data necessitate eligi debeat, &

qualiter usurpatum in hoc aut illo casu  
in usum duci possit.

## CAPUT VIII.

*De artificiosa electione inter purgantia instituenda.*

**E**X præcipuis remedijs unum, quibus hominis sanitas recuperatur, est purgatio: atque adeò ab ea rem ordiri aptissimum videtur. Porrò, ut citra ambages procedamus, quando datur hujus necessitas, seu quale est ejus indicans? dico, quòd cacochymia, seu vitiorum quorumcunque humorum in corpore abundantia: ubicunque igitur ista deprehenditur, ibi opus est expurgatione. Ast licet né eam cum quibuscunque perficerem? dico quòd nullo modo (etsi id alijs, quos tamen refutavit Galenus, aliter placeat) sed qualis est humor ille, qui pecare deprehenditur, tale deber ei opponi medicamentum purgans, adeóque, si peccat bilis, expurgare eam oportet purgante cholagogo, si pituita phlegmago,

go, si melancholia, melanagogō, si de-  
nique serum hydragogo, tot siquidem  
humores sunt, qui dictam cacockymiam  
constituere, vulgō censem̄ur: si verò  
peccant plures dictorum humorum si-  
mul, plurium etiam Catharticorum, ar-  
tificiōtā tamen, miscellā indigent. Ne-  
que tatis; quoniam enim inter ista ipsa  
Cholagogā, phlegmagoga, melanagogā  
& hydragoga adhuc ea diversitas inte-  
rest, quod alia eorum sint mitiora, leni-  
entia propterea, & benedicta dicta, at-  
que citra ullam naturae vim operationem  
suam exferentia, qualis est *manna*, *cas-  
sia*, *tamarindi*, *rhabarbarum*, *fol. sen.* me-  
*chacan.* *pruna*, *aloe*, *agarius*, & ex com-  
positis elect. lemit. *diacathol.* *syr.* *ros.* & *vio-  
lat.* *fol.* *florum* *persic.* &c. Alia econtrā  
fortiora, neque vim suam citra maxi-  
mum conatum, tormina, & virium no-  
tabile dispendium edentia, nisi sint quām  
optimē correcta, quale est *turbith*, *gum.  
gort.* *helleborus*, *colocynth.* *Scammon.* *ela-  
terium*, *cataput.* &c. Multūm interest,

ut quis his aut illis potius utatur, adeo-  
que prætentem cacochymiam purgatio-  
nis indicans hoc vel illo fortiori, vel mi-  
tiori purgante cholagogo, phlegmago-  
go, hydragogove evacuare aggrediatur.  
Datur siquidem frequentissime catus, ubi  
adest quidem talis aut talis purgantis in  
specie necessitas, verum ei, utpote fortio-  
ri contraindicant, seu repugnant vires,  
ætas, temperamentum, consuetudo, an-  
ni tempus, regio, similestue circumstan-  
tiæ. Quid ergo in tali catu ager Medicus?  
cum qualicunque ne obvio purgante ta-  
li indicanti alias satisfacere nato intentio-  
nem suam adimplebit? procul dubio  
non, verum mitiora eligit, atque mo-  
nente sic Galeno lib. 1. ad Glauconem  
neque pueros, neque senes, neque nimis  
graciles, aut qui mollis sunt carnis, & uti  
ille loquitur, algæ modo teneræ, facilè-  
que diffluentis, fortibus purgabit, verum  
eligit ea, quæ ex ijs mitiora sunt, & ope-  
rationem suam, citrâ ullam, quasi natu-  
ræ vim perficere solent. Quod ipsum  
agit

aget & in illis, qui ex naturâ suâ alui sunt fluidissimæ, quales solent teste Hip. 6. aph. 32. communiter esse balbi, quos græci ab eo, quod litteras T & R simul expeditè exprimere nequeant, traulos dicunt, qualem Ego novi Nobilem quampiam quoad temperamentum quidem sanguineo-melancholicum, & quoad corporis habitum virum carnolum valde, & robustum, adeoque talem, quales fortia cathartica ferre expressè docet Hip. 4. aph. 9. qui tamen tam facilis erat purgationis, ut vel cum levissimis citra læsionem notabilem purgari non potuerit. Similiter alium Carthusianum virum religiosissimum, pariter quoad temperamentum melancholicum, & quoad corporis habitum robustissimum sed simul balbum, qui pariter tantæ erat lubricitas, ut cum nullo cathartico tutò purgari potuerit, quam cum rhabarbaro tosto cum corticibus myrobalan. permisto, medicamento plus quasi astringente, quam laxante. Walæus in Meth. M. Simon

Schultzius in Ephem. Nat. Cur. Dec. i.  
anni 3. obi. CLII. & apud eum Marcel-  
lus Donatus Hist. Med. mirab. l. 6. c. 3  
planè talium meminerunt, qui vel ad fo-  
lum aspectum, odorationem, aut etiam  
puram recordationem medicamenti pur-  
gantis abundanter evacuantur, quos si  
fortibus aggrediereris, procul dubio eos  
maxime læderes. Prægnantes primis tri-  
bus, & postremis mensibus vetat purgare  
Hip. 4. aph. 1. & hoc ob respectum fætus  
eo tempore facilè ab utero separabilis,  
adeoque purgationi, tanquam tali, ad  
quam facilè id accideret, repugnantis:  
quod si tamen rem mitioribus aggredia-  
ris, quemadmodum suo loco dicetur,  
huic periculo facilè obviabis, adeoque  
pulchro modo cæcochymixæ purgatio-  
nem indicanti satisfacies, & tamen fæ-  
tum non lædes. Idem ferè est, dum 4.  
aph. 5. in cane & ante canem dicit diffici-  
les esse purgationes. Etiam enim tunc cum  
mitioribus lecuræ sunt purgationes, non  
sic verò cum fortibus ob vires tunc tem-  
poris

poris debiliores, adeoque à talibus facilè  
lædendas.

Rursum ex istis ipsis expurgantibus le-  
vioribus, fortioributue alia quoad primas  
qualitates temperatiora sunt, alia cali-  
diora & sicciora. Sic *manna*, *cassia my-*  
*robalani*, *tamarindi*, *pruna*, *serum lactis*,  
*syr. rosar.* & *viol. sol. elect. lenis.* & similia  
temperata valde sunt, & quasi refrige-  
rantia, *rhabarbarum è contrà aloë*, *mechoac.*  
*bermoda* & *hellebor.* *esula*, *mezereum*,  
*turbit.* *Scammon.* *euphorbium*, *colocynthis*,  
*elaterium* & similia calida & sicca valde,  
ut proinde non parùm interfuerit pro  
contraindicantis diversitate eligere hoc  
præ altero, quemadmodum id nos facere  
admonet in animadversionibus suis Med.  
Septalius lib. 5. dum cum magnâ cautio-  
ne in febribus biliosis, præcipue ardente  
utendum esse *rhabarbaro* dicit, & ad huc  
cum majore *Scammoneo*, etsi de se edu-  
cendæ bili in tali catu peccanti, adeoque  
cathartici cholagogi indicanti vel maxi-  
mè idoneis, & eis è contrà ob febrim, &

viscerū æstum contraindicantē temperatiora substituenda vult, cassiam nimirum mannam, tamarindos, & syrumpum rosarum, aut viol. sol. cum sero. Item Gal. I. 8. de comp. Med. secundum loc. cap. 2, biliosis & siccis corporibus aloës calidae & siccæ usum non mediocriter esse, infensum asserens. Nicolaus Curtius etiam de medicam, lenientibus eam frequenter sumptam nimis siccare, hepatalendere, & hæticam facere ait, & propterea eâ non, nisi rariùs, & correctâ utendum esse putat.

Alia adhuc alijs titulis quandoque specta sunt, ut in nimio hæmorrhoidum fluxui obnoxijis aut prægnantibus rectè jam dicta aloë, ob eam, quâm præter purgativam, hæmorrhoides proritandi, & menstrua pellendi vim habet. In ijs verò, qui exsucco valde sunt corpore, aut alui valde contumacis ob adjunctam siccitatem, & terrestreitatem, quâ teste Bernardo Schwalve in disquisitionibus suis therapeuticis Sect. 2. peractâ purgandi

gandi operatione aluum astrictam relin-  
quere solet, quod ipsum facit & rhabar-  
barum atque myrobalani. *Cassia* quoque  
præterquam, quod teste Schrädero hu-  
midum ventriculum habentibus, hypo-  
chondriacis, & flatulentis minus conve-  
niat, à Paulo de Sorbait prax. Med. tract.  
s. cap. 47. in nutricibus, & prægnantibus  
propterea pro suspecta habetur, quod  
non solum lac à proprietate adimat, ve-  
rū etiam menstrua moveat, quā etiam  
de causa *coccyntibus*, & *turbit*, consultò  
à prægnantibus vitantur. *Elaterium* ve-  
rò, quia non solum violentum nimis est,  
& mentes movet, verū etiam factum  
ipsum interimere centetur, in simili casu  
planè ut venenum fugiendum. Et sic de  
alijs, quæ singula longum nimis esset  
enarrare, præcipue quod ea reperire lice-  
at apud Galenum, Metueim, Aëtium,  
Diotcoridem & alios, qui simplicium me-  
dicamentorum naturas ex professio exa-  
mînâunt.

Præterea quod alia purgantium sunt,  
que-

quæ saltem per inferiora suam exserunt operationem ( quamvis id neget Walæus in Meth. Med. ) alia verò per superiora solum , ac tandem alia , quæ planè per utrasque postes ; dantur verò casus , ubi tantum alterutrum tutò instituitur , quemadmodum id patet ex Hip. 4. aph. 7. dum difficulter vomentes , & mediocriter carnosos tantum per inferiora esse purgandos monet. 4. aph. 8. tabidos ad vomitum cogere prohibet , ac tandem 4. aph. 4. æstate superiores potius ventres , hyeme verò inferiores esse purgandos vult , procul dubio quoque inter ista pro contraindicantium diversitate probam facere electionem suo tempore expediet . Sunt verò ex narratis ferè omnia per inferiora saltem purgantia , asarum ècontrà , bellaborus albus , vitriolum album vomit . tartar . emeticus & similia vomitoria propterea spicificè dicta , potissimum per superiora : Gratiola verò , cataputia maj . seu ricinus , gum. gotta , vitrum antimon . & plura alia , planè per utrasque postes .

Ne-

Neque satis; eò quòd et si quispiam jām  
tatione medicamenti purgantis hujus aut  
illius non solùm specie, & fortioris, aut  
mitioris, per superna vel inferna ope-  
rantis, verùm etiam numero apud se  
cum omni circumspectione determinārit,  
adhuc tamen supereſt ei concludere, in  
quānam quantitate illud conveniat. Hæc  
ipſia etenim eadem ferè, quæ fortia me-  
dicamenta ſæpe habet contraindicantia,  
præcipue vires, ætatem, corporis habi-  
tum, conſuetudinem, anni tempus, re-  
gionem, materiæ expurgandæ copiam,  
naturam, ſitum, morbum ipſum & simi-  
lia, quorum reſpectu et si cacochymia  
purgantis indicans majorem medicamen-  
ti purgantis quatitatē ſeu doſim expe-  
teret, eam tamen ſemper tantam offerre  
non eſt tutum. Sic ubi vires ſunt debi-  
les, ætas aut tenera nimis, aut proiecta  
valde juxta Galeni ſuperius citatum illud:  
*neque pueri, neque ſenes integras ferrunt*  
purgationes, temperamentum calidum &  
ſiccum, corporis habitus gracilis, aut  
mola

mollis, & facile resolubilis, alvus faciliter  
lime mobilis, purgandi nulla consuetudo,  
anni tempus calidum & siccum,  
quale est in & ante canem, quo tempore  
propterea citato loco difficiles dicit esse  
purgationes Hip. Regio est calida, mate-  
ria peccans patua, aut tenuis & calida,  
aut in loco vicino sita, morbus ipse etiam  
calidus, & acutus, purgantia præter-  
quam quod non vehementia, insuper  
neque in magna dosi offerenda sunt, se-  
cùs verò jam dictis contrario modo te-  
habentibus. Inde Hip. l. aph. 3. ratio-  
ne virium prohibet vacuationes ad ex-  
tremas ductas, quod ipsum quasi repetit  
3. aph. 51. dum dicit plurimum & repe-  
tè vacuare esse periculosum, paulatim verò  
quod fit, tutum. Itali etiam & similes  
calidiortum regionum incolæ tanta ad  
purgandum dosi non egent, quanta nos  
Germani, & præcipue regiones magis ad-  
huc septentrionem versus sitas incolen-  
tes, & hoc partim ratione regionis cali-  
dæ, partim ratione materiae peccantis,  
qua

quæ in similibus biliosior & tenuior, adeoque facilis mobilis esse solet, in nobis verò partim ob aërem contrarium, partim etiam ob majorem ingluviem puitosior, & crassior, adeoque minus mobilis. Et sic de cæteris circumstan-  
tia ratiocinando. Quæ, qui tanquam  
vera purgantium non solum vehemen-  
tiorum, verùm etiam majoris corun-  
dem doceos contraindicantia non obler-  
vat, habet, quod metuat, ne non so-  
lum, dum humorum peccantem expur-  
gare, intendit, ægri vires nimium pro-  
sternat, adeoque posterius malum red-  
dat priore deterius, verùm etiam, ne con-  
vulsionem, aut singultum, quæ duo te-  
ste Hip. 5. aph. 4. post immodecam purga-  
tionem mala sunt, aut uti habet 7. aph.  
21. mortifera, aut hypercathartes lethæ-  
les inducat. Quod proinde periculum,  
ut præcaveant cautiores Medici, præter-  
quam, quod, ubi fortiora, ubi mitiora  
conveniant, circumspectissime perpen-  
dunt, in super & de eorum quantitate lo-  
lent

lent esse solliciti, quam quidem, si omnino aslequi nequeunt, quemadmodum in re ipsa etiam deprehentu est vel ipso Hip. lib. de veteri Med. teste difficillima, evacuationem partiri tolent, & per vices instituere, quam evacuationem græci per Epicrasin vocant. Quamvis istud jam potius, uti & aliquomodo quantitas ipsa medicamentorum ad legitimum remedium usum, quam electionem pertinet. De quo verò plura suo loco.

### CAPUT IX.

*De artificiosa electione inter vomitoria instituenda.*

**V**OMITORIA purgantium sunt species, in eo solùni abijs differentia, quod ista materiam vitiosam educant per inferiora, illa verò per superiora. Idem est etiam utrisque indicans, cacochymia nimirum, excepto, quod in purgantibus propriè sic dictis materia peccans quasi naturâ tua potius deorsum tendere debet, vi Hippocratici illius i. aph. 21. quæ educe-

educere oportet, quod maximè vergunt, educenda per loca convenientia, in vomitorijs verò sursum, quod quidem ex præsente nausea, seu ad vomendum proclivitate colligitur. Vbicunque igitur adest cacochymia cum nausea, ibi proprium adest vomitoriorum indicans: quamvis Hip. 4. aph. 17. & 18. præter naucam adhuc alia signa adducat, ex quibus vomitoriorum necessitatem colligere liceat: Non febricitanti cibi fastidium, oris ventriculi phorsus, vertigo tenebricosa, & oris amaritudo purgatione per superna opus esse significant. Item supra leptum transversum dolores, quicunque egent purgatione, per superna purgandum esse significant.

Sed quid si eis quid obstet, seu contradicet, ponamus ad vomendum in eptitudo ex parte subjecti, cui vomitorium esset propinandum, aut ex parte materiæ evacuandæ, aut anni temporis, quorum 4. aph. 4. 6. 7. 8. 9. & 12 meminit Hip. Æstate superiores potius ventres, hyeme verò inferiores, purgandi.

Graciles & ad vomendum faciles per superna purgare oportet, carentes hyemem, volumentes verò difficulter, & mediocriter carnosos per inferiora, carentes aestatem. Tardibes verò carentes purgationes per superiora. Melancholicos infrā vehementius purgabis. Quorum alii lubricitate intestinorum laborant, eos hyeme suprà purgare, malum. Quamvis in hoc passu alijs ex parte materiæ ineptitudinem nullam admittant, neque anni tempus, neque temperamentum current, sed contenti sunt, si corpus sit robustum, & ad vomitum proclive, neque pulmones lælos habeat, aut capite, oculis, hæmorrhagiâne narium laboret. Quid, inquam, in tali casu aget Medicus? Simpliciterne se vomitionem indicanti accommodabit? Respondeo, quòd Methodo vulgari utique, ast cū quanto ægri discrimine? Quò proinde tutò procedat, conspiciens adesse quidem vomitionis indicans, verùm adesse simul etiam tale aliquod contraindicans, quod eam non admittit, ab ea con-

consultò supersedebit, & ejus loco conabitur materiam peccantem alias vomitionem indicantis per superna expurgabilem, per inferiora, aut alias vias cautè educere. Vbi verò viderit, non prohiberi abolutè vomitionem, siquidem ex vomitorijs alia sunt vehementiora, alia mitiora, cautè considerabit, ubi hæc ubi illa potius convenient. Conveniunt verò corpori robustiori, tempore hyemali, regione frigidiore, peccante materiâ existente crassiore, & in remotiore corporis regione sitâ, fortiora, his verò contrario modo se habentibus, mitiora.

Mitiora verò vomitoria sunt: *aqua tepida simplex vel bordeata cum ol. olivarum copiöse hausta. Item jus carnis tepidum & pingue. hydrelæcum aut etiam oleum amygdal. dulc. cum jure tepido & syr. acetoso simpl. potum. Item jus carni cum floribus genistæ alteratum cum succo raphani & oxymele scil. propinatum. &c.*

Fortiora nonnikil: *rad. asari subtilissime trita, juli nucum inglandum, Semen*

*atriplic. aneth. rhaphani*, & ejusdem succum expressus, atque ex compositis diafaron Fernelij in aqua bordei vel multa dissolutum, oxymel vomitivum &c.

Fortissima tandem, quæ ex *antimon.* parantur, uti est *crocus metal.* *vitrum* & *flores antimon.* *tartar.* *emet.* *aqua benedicta Rulandi*, *Quercetani*, *Hartman.* & similia. Item ex *vitriolo* paratum *sal*, & *Gilla Theophrasti*, *gum. guttæ mercuriæ*, & *vehementissimus*, atque propterea monente saepius citado *Wala* in sua Meth. Med. & Bernardo Schwalue indisquis. Therapeut. vix usurpandus, quid quid de eo censeat 4. aph. 3. & sequentibus duobus *Hip. helleborus albus*.

Plura vide alibi, præcipue apud Guerner. Rolfinc. Meth. Med. Special. Comment. lib. V. Sect. 8. c. 1. & sequentibus.

Factâ sic inter vomitoria mitiora, medocria, fortissimâque artificiosâ electione, aliud super non est, quam adhuc de dosi seu quantitate vomitorij determinare, eò quod neque ista ubique eadem

con-

conveniat , sed pro contraindicantium diversitate nunc major , nunc minor. Id quod verò etiam non omnino impossibile est coniucere , si quantùm vomitionis indicans egeat , quantùm verò vires , quæ potissimum sunt quantitatis contraindicans permittant , exactè perpendatur. Posito verò quod indicans majorem vomitorij dosim exposceret , quàm ægri vires permitterent , oportet id astuto ejusdem vomitorij usu conari evitare , dando nimium idem quidem numero medicamentum , & in eâdem minore dosi , sed sæpiùs , & per intervalla , quemadmodum id etiam in purgantibus quandoque utiliter practicari cap. præcedente allatum fuit. Taliter namque , indicanti majorem dosim adæquate satis fieret , & tamen in vires debiliores non peccaretur , utpote quæ ad istas repetitas , sed in dosi minori medicamenti iterationes non ita offenduntur , quàm ad unicam nimis capiolam.

## CAPUT X.

*De artificiose electione inter clysmata  
instituenda.*

**T**erminato sermone de purgantibus in specie sic dictis, & vomitorijs, ordo exigere videtur, ut clysteres etiam clysmata, seu Enemata aliter dicta, in medium producamus, eò quod quoque eorum pars purgantium sit species, illi nimirum, quorum, usus quoque in evacuanda cacochymia, sicut purgantium consistit. Quamvis teste Jolepho Lanzone Ferrarensi Medico, Collega & Amico meo honorando in disertat. Sua Medica de clysteribus primò nuper mihi per litteras communicata dentur plures alij, qui ex alijs intentionibus usurpan- tur, quales sunt à Medicis dicti anodyn, nutrientes, astringentes, consolidantes, abstergentes, carminativi, & emollientes, quorum propterea etiam sunt alia indicantia, anodynorum nimirum dolor: nutrientium fames, seu nutrimenti aliâ ob

ob quocunque impedimentum commodiore viâ non suppeditabilis defectus : astringentium , intestinorum laxitas : consolidantium, continui intestinorum solutio : sicut purgantium cacochymia, per hos quâcunque de causâ commodiùs educibilis , quâm per alia remedia ; abstergentium illa eadem cacochymia tanquam ob suam tenacitatem intestinis pertinaciùs adhærens , quatenus verò fortè in flatus resoluta , & attenuata carminativa , & denique , quatenus in intestinis indurata ( si alii fæces tamen cacochymiae nomen mærentur) emollientium

Horum usus tot contraindicantia quidem non habet , quot purgantia inspecie sic dicta & vomitoria , quin imò securi plerumque esse solent , quandoquidem nulla est ætas , nullus sexus , nullum temperamentum , nullus corporis habitus , nullum tempus , nulla regio , & nullus ferè morbus , qui eosdem non admitteret , Imò tanta est eorum quandoque necessitas , ut absque illis vivere , sit quasi impossibile .

sibile ( quamvis nimis frequens eorum usus , veluti qui tandem id efficit , ut natura clysteribus stimulari assueta postmodum de se vix aliquando respondeat , non sit laudandus ) in cuius rei probationem , ut taceam hypochondriacos , quos singulos ferè in hoc passu mihi aslenturos certus sum , adduco solum illum Fori julieniem hospitis ad insigne aquilæ nigræ Filium , qui ex casu ad posteriora in eam partium inferiorum , & præcipue sphincteris ani inciderat paralysim , ut jam in tertium annum ( loquor ex propria ipsius confessione ) citra purgantis assumptionem , aut clysteris admissionem aluum nunquam exoneraverit . Non tamen ab omni prorsus contraindicante ita liberi sunt , quin tuâ quoque circumspectione opus habeant , eò , quod præterquam quod diversi valde sint , & uti dictum , ad diversas explendas intentiones destinati , adeoque quandónam hujus , quando illius sit necessitas & convenientia , sit bene dispiciendum : siquidem ex illis ( loquor nunc

nunc de purgantibus ) alij fortiores sunt,  
& humoribus etiam in remotioribus par-  
tibus hærentibus educendis apti , alij mi-  
tiores , & humoribus vitiosis in primis  
saltem vijs, intestinis scilicet & ventricu-  
lo, eisque proximè adjacentibus partibus  
detentis expurgandis idonei , ex fortio-  
ribus nimirum , vel mitioribus ingredi-  
entibus confecti , distinguere necesse est ,  
quando iste , quando ille conveniat. Præ-  
terea nunc applicandi veniunt infantibus ,  
nunc proiectioribus , nunc gravidis ,  
nunc non gravidis : quibus omnibus ne-  
que æquè fortes convenire , neque in eâ-  
dem quantitate , ratio dictat , ut propte-  
rea prudenti electione sit opus , quemad-  
modum in præcedentibus de purganti-  
bus , & vomitorijs idem dictum fuit.  
Solent verò communiter proiectioribus  
inijci in quantitate lib. j vel etiam lib. ls ,  
dum interea pueris lib. ls vel unc. viij suf-  
ficiunt : Infantibus etiam unc. ij vel. iij

Vlterius , est quoque illa observatio , ut  
siquis clysterem diutiùs retineri cupit ,

cum in minore dosi injiciat, quod quidem præcipue in astringentibus, & consolidantibus, atque anodynis locum habere videtur.

In prægnantibus à clysmatum usu qui-  
piam planè obhorrent, eò, quòd ad eo-  
rum usum mox subsecutum fuisse abor-  
tum teste Philip. Jacobo Schörfeldero lib.  
1. Histor. Med. Histor. 25. Sæpius obser-  
vatum fuerit. Quod si quis tamen ex eis  
eligt non solum mitiora, & omnis acre-  
dinis expertia, verùm ea insuper in mi-  
nori dosi injiciat, illud periculum facile  
evitabit, quemadmodum id nobis atte-  
statur luculentis verbis Walthasar Thim-  
æus von Guldenklee / dum per litteras  
aliquando requisitus, num certæ gravi-  
dæ mox ab accepto clystere leniente de-  
mortuæ mortis causa potuerit fuisse cly-  
ster nec non ? taliter respondit: *Clysteres*  
*non unius sunt generis, sed varij, primò e-*  
*nim sunt evacuatorij, qui vel flatu evacu-*  
*ant, & carminativi dicuntur, vel humo-*  
*res, & vel lenientes, qui debentur humoris*

bus existentibus in intestinis; vel acres, & soluentes, qui conveniunt humoribus etiam extra intestina contentis. Deinde sunt alteratorij, calefacentes scilicet & refrigerantes, ad quos referri possunt etiam detergentes, ex siccantes, humectantes. Tertiò anodynī, & 4tō nutrientes.

Ex his omnibus nulli gravidis noxijs sunt, præter acres & soluentes, quatenus facultatem expultricem irritant, vel dolores, aut alii profluvia excitant, quæ partim spiritus & humores agitando, partim alimentum fætui subtrahendo, aborsum parvunt. Verum cum clysteres nobilissimæ fæminæ à Medicis præsentibus ordinati, emollientes tantum fuerint, & lenientes, minoriq; in quantitate injecti, nullam exinde, nec gravidæ, nec fætui noxam inferri potuisse censeo. Materias verò ex quibus omnis generis clysteres confici solent, videre licet, præterquam apud alios, quoque apud citatum superius Jolephum Lanzonum citato loco.

## CAPUT XI.

*De artificiose electione inter suppositoria instituenda.*

**S**uppositoria à supponendo, quòd nimis communiter quidem saltem ad aliū proritandam, alias verò etiam ad alios vitiōs humores ad extra provocandos & à superioribus partibus revellendos quandoque etiam adhuc ad alias intentiones anno supponantur seu indantur suppositoria, à figura verò glandiformi glandes dicta ejusdem fermè sortis sunt, cuius clysteres, eò quòd plerumque, & in quibuscunque circumstantijs, si eorum occurrit necessitas, sint tecura. Quòd omnia tamen non sint ejusmodi, sed, ut taceam de illis, quæ ad alias intentiones adimplendas quandoque in usum veniunt, ex purgantibus alia sunt vehementiora, alia mitiora, seu alia ex acrioribus, alia ex lenioribus ingredientibus composita, bene dispiciendum quoque inter ista venit, antequam in usum tra-

trahantur, quòdnam ex eis à contraindicante permittatur, quod non permittatur; veluti id per providè nos admonet Pharmacopæia Augustana, ubi acriora suppositoria, qualia ibidem videre licet, prægnantibus expressè interdicit, sicut & ijs, quibus hæmorrhoides solent esse molestæ, & eis econtrà mitiora, ex melle scilicet, vitello ovi, ac modico sale aut muscerda confecta substituenda monet. Infantibus planè ex solo butyro cum momento muscerdæ confecta à mulierculis cùm effectu indita vidi, aliàs verò folium petroselini recentis simul in oblongum convolutum & butyro inunctum; quibus si acriora supponeres, tenellulam corundem cutem læderes, quemadmodum id ego aliquando à solo sale marino in nimia quantitate melli permisto, & in suppositorij formam redacto factum vidi in nobili fæmina, cui ad applicitum suppositorium undique circa anum mox dolorosissimæ pustulæ erant enatæ, ita ut eas postmodum cum fomentis ex lacte leniretive-

fuerit necesse. Atque sic apparet, qualiter quoque cum suppositorijs, si eis quid obstet, mediante artificiosa electio-  
ne tutò procedere liceat.

Plura adhuc sunt hujus fortis Medicis solennia remediorum genera, quibus quidem pariter sine artificio adhibita elec-  
tione tutò semper uti non licet, quemadmodum talia sunt Errhina, quorum species sunt sternutatoria, teste Hip. 5.  
aph. 49. prægnantibus infensa, & propterea non semper promiscuè, & citra electionem usurpanda, sed ipso Bent-  
volum Lectorem se ipsum in eorum elec-  
tione, ad hactenus dictorum normam  
facile inventurum.

## CAPUT XII.

*De artificiosa electione in sanguinis missione instituenda.*

**S**Anguinis emissio alterum ob insignem in Medica arte usum à Galeno magnum dictum remedium, quæ olim teste Roffincio romanæ militiæ tanto erat

con-

contemptui, ut nulli unquam vena incideretur, præterquam infami, nunc tanta in æstimatione est ( quid quid contra eam effutiat cum paucis alijs Helmontius lib. de febr. cap. 4.) ut nullus fere repe riatur morbus, cui eam, ut singulare præsidium non opponamus, & cui illa etiam in re ipsa suam opem non afferat, quemadmodum id clarè attestatur Martinus Rulandus, qui omnes eos affectus, quibus venæ Sectio opitulari potest, in Catalogum seu ordinem alphabeticum reuegit in sua phlebotomia. Præ principuo indicante agnoscit quidem sanguinis abundantiam plethoram græcis dictam, neque tamen ita religiosè, quin quandoque etiam ad alias intentiones celebrantur, ut puta ad sanguinis orgasmum, fermentationem, seu ebullitionem comprehendendam, sauginem simplicier ex loco affecto evacuandum, aut ad alium locum reducendum, & eum quidem parti affectæ aut vicinum, aut remotum & contrarium: propter quos scopos post-

mo-

modum etiam diversas sortitur denominations; prima scilicet ventilatoriæ alteratoriæ, secunda simpliciter evacuatoriæ, tertia derivatoriæ, & tandem quarta revulsoriæ.

Isti scopi, seu ista indicantia, quotiescunque in praxi occurunt, toties sanguinis missioni est locus, dummodo nihil ei obsistat, seu contraindicet: Contraindicant verò saepe ætas aut tenera nimis, uti id videre est 4. de ration. viet. in acut. tex. 19. apud Gal. saepe temperamentum, si illud sit frigidius, saepe corporis habitus, si sit aut cachecticus, aut alias exsanguis, qualis est hecticorum: saepe sexus, uti id legere est apud Hip. 5. aph. 30. ubi gravidis venæ Sectionem in terdicit: saepe specialis idiosyncrasia, seu naturæ proprietas certis, uti traditur, in Gallia familijs innata, vi cuius nullam contra animi deliquium, aut planè syncopen perferre valent sanguinis emissionem: saepe regio, anni tempus, saepe etiam constructio ac tandem vires sive periciles,

## PARS I. CAPUT XII. Si

les, sive aliunde tales redditæ, puta à morbo aliquo diurno, gravibus dolobus, magnis alui profluvijs, hæmorrhagijs, vigilijsue. Citra quorum respectum si quis intuitu solius indicantis in emitendo sanguine procederet, necessariò frequentissimè impingeret, peccaret que facilè in id, quod vetat Hip. i. aph. 3. & 23. dum expressè asserit, non semper pro indicantis exigentia esse evacuandum, sed cum respectu ad naturam, & ægri vires. Quid igitur in similibus dubijs casibus consilij? quod arripiendum medium, ad feliciter se ex tantis difficultatibus extricandum? Respondeo ego esse rursus confugiendum ad toties decantatam illam artificiosam electionem, utiliue astutum. Datur verò ista electio non solùm inter quaternum illum sanguinem emittingendi modum, qui fieri solet, dum sanguinem aut venæ incisione, aut arteriæ Sectione, aut sanguinugarum applicatione, aut cutis scarificatione emittere solemus, verùm etiam in

ejusdem quantitatis eductione. Vbi quidem notandum, quod quemadmodum horum quatuor modorum mittendi sanguinem non omnium idem est valor, seu efficacia, siquidem nunc venæ Sectio, nunc arteriotomia, nunc scarificatio, nunc hirudinum admotio pro necessitatis diversitate melior, ita non omnium semper æqualis est securitas: sanguis quandoquidem per arteriæ incisionem emissus (ut taceam, quantum huic operationi periculum insit) quantò est eo, qui ex incisa vena emittitur, spirituosior, tanto vires emissus debilitat magis, sicut è contrà ille, qui per cutis scarificationem emittitur, ob spiritus adhuc, quam in venis majoribus, & cordi viciniорibus pauciores, minùs. Ille quidem, qui per sanguisugarum applicationem è venis majoribus educitur, in eo, quod idem ipse sit, qui per venæ incisionem emitti solet, quoad hoc non aliam à venæ Sectione meretur considerationem, quod vero tardius tamen effluat, quam per venæ Se-

ctio-

ctionem eductus, perpicuum evadit, cum ratione legioris illius effluxionis viribus minus detrahere, & propterea rationabile esse, ut dum emittendus est sanguis, timetur verò ob contraindicans aliquod seu repugnans v. g. debiliores vires ex tali emissione periculum, potius emitatur per sanguisugarum applicationem, quam per venæ scalpello vulnerationem. Quæ eadem est ratio proportionatè venæ Sectionis respectu arteriotomiæ, & cutis scarificationis respectu omnium trium cæterorum sanguinem mittendi modorum, nempe consultius emitti in tali casu sanguinem ex venâ, quam arteriâ, & consultius (dum modo tamen & cæteris circumstantijs satisfaciat) scarificatione, quam alio, quocunque modo. Quin imò talem electionem etiam inter ipsas venas esse faciendam censet Mercatus l. 3. de morbis mul. cap. 22. Augeñius lib 6. de tang. Mil. c. 3. Rodericus à Castro 3. de morb. mul. cap. 21. & alii, qui omnes, etsi absolutè in gravidis ur-

gente necessitate à sanguinis missione non abstineant, basilicam tamen incidere omnino dissuadent, cò quod cum internis partibus, adeoque etiam utero maximum censeatur habere consensum; & quòd per eam tanquam ampliorem, vulneratam plus spirituum avolet, quam per nullam aliam, de qua tamen nos alio loco. Taceo eam electionem, quæ inter venas superiores & inferiores, hujus aut illius lateris &c. venit facienda.

Ex quibus demum rationabiliter quodque istud deducitur. Quod si sanguis e venis emissus minus debilitet, quam is, qui ex arterijs educitur, & is, qui ex venis minoribus, præcipue capillaribus difficit, & à corde caloris vitalis fonte, & spirituum vitalium dispensatore remotioribus, adhuc minus, quoque minus debilitabit, quòd parcior ejus quantitas educetur. Pari modo, si sanguis per hirudinum venis applicationem emissus propterea minus debilitat, quam ille, qui simpliciter per venæ scalpello vulneratio-

nem emittitur, quia lentiùs effluit, adeoque sp̄itus vitales non ita confertim, sed paulatim, quod *tutum* ait Hip. 2. aph. 51. & citra naturæ refectionem evacuat etiam, si sanguinis certa quantitas non unâ vice, sed pluribus, & partitis vicibus educetur, vires non eatenus dissipabit, quām si tota illa quantitas unâ vice proliceretur. Consequenter si quis videbit se necessitati, seu indicanti sanguinis missionis ob aliquod repugnans non posse citra manifestum periculum satis facere per arteriæ, aut venæ incisionem, sapienter conabitur id præstare per sanguinugarum applicationem, aut cutis scarificationem, vel certè parciorē dicti sanguinis pro unâ vice eductionem: vel denique, si ad copiosiorem necessitas seu indicans coegerit, id non unâ actione præstabit, sed pluribus, & iteratis vicibus tantūm educet, quantum necessitas exigere videbitur, & quantum unâ vice educeret, nisi contraindicans obstat.

Ecce quantis difficultatibus evitandis.

artificiosa electio etiam in sanguinis emit-  
tendi modis instituta inservit! Inservit  
nimicum, ut rem breviter recolligam, ut  
contra Galenum ante 14. & post 60. an-  
num sanguinem mittere prohibentem,  
sanguinem non tantum pueris, sed & in-  
fantibus more Gallorum & Italorum, &  
non tantum in media aetate constitutis,  
verum etiam sexagesimum & septuagesi-  
num annum superantibus tenaculis ur-  
gente necessitate tutò emittas. Item non  
solum ijs, qui sanguineo sunt tempera-  
mento, habitu corporis florido, regio-  
nem inhabitant calidorem, & in anni  
tempore existunt temperatiore, verum  
alijs quibuscumque, dummodo neces-  
tas urgeat, & contraindicantis compe-  
tens respectus habeatur. Et ista quoque  
breviter de artificiosa electione in-  
ter sanguinis mitterendi modos  
instituenda.

## CAPUT XIII.

*De electione inter Sudorifera  
instituenda.*

Sudorifera Diaphoretica græcis dicta quoque vacuantium species, & vel propterea mox post bina illa magna remedia, purgationem & sanguinis missio nem in examen trahenda, ejus sunt in relanandis humani corporis morbis necessitatis, & utilitatis, ut eis Ars Medica post dicta illa duo purgationem scilicet, & sanguinis missionem primas facile debeat.

Verum enim verò, quemadmodum eorum dignitas est, uti dictum, quam maxima, ita eorundem usus quam plurimis indiget cautelis, veluti id adhuc patebit clarius, postquam prius quodnam genuinum sit eorum Officium, quā vi suam operationem perficiant, & circa quid potissimum versentur, determinatum fuerit.

Munus igitur eorum quod attinet, id

**C**x nomine ipso facilem innotescit, esse nimirum sudorem movere, discutere, & digerere; tantum enim verbum diaphoretico à quo ista medicamenta diaphoretica dicuntur, significat, quā vi verò istam operationem perficiant? si consideremus, quod sudorem non solum ea, quae calida sunt, verum etiam quae frigida, qualis est aqua fontana; si copiosè ab homine astuante potetur, eliciant, res dubia quidem primā fronte apparet, quod si tandem perspiciamus reliquas circumstantias, quae in sudore occurruunt, quod facilis nimirum sudemus in loco calido, quam frigido, quin imò in frigido sudare nequeamus, facilius etiam bene cooperati, quam libero aëri expositi, præterea tempore sudationis universum corpus solito magis incalescat, pulsus major, & frequentior reddatur, imò cor ipsum concitatiū moveatur, quae omnia intensioris caloris effectus sunt, irrefragabiliter confiteri cogimur, sudoris procurationem vi non aliâ, quam caloris fie-

fieri, conseqüenter sudorifera de se esse  
calefacientia omnia, sicut id testatur m.  
Sennertus & alij, adeoque etiam deberi,  
seu verlari, atque pro proprio suo indican-  
te agnoscere humores potius naturâ suâ  
frigidos, quam calidos, quale est præci-  
pue serum, & pituita, deinde siquidem  
operationem suam à centro corporis ad  
peripheriam, seu ab intro ad extrâ perfici-  
unt, & per vias quidem valde angustas,  
quales sunt cutis pori, potentiam suâ vix  
dominari alijs, quam tenuioribus humo-  
ribus, aut certe, si crassi illi sunt, qualis  
est pituita, saltem facile liquabiles, &  
attenuabiles esse debeant, qualis est ea-  
dem pituita priusquam est nimis exista,  
alia verò eis vix patere. Quod frigidam  
verò, copiosius in æstu haustam concer-  
nit, id ei saltem per accidens, quatenus  
nimirum interiora refrigerando & coar-  
ctando tum calorem internum, tum se-  
rositates ipsas ad exteriora propellit, &  
quasi exprimit, id quod Philosophi per  
antiperistasis vocant, non verò per se,  
concedendum venit. F 5 Jam

Jam igitur ad Cautelas.

**Q**Uandoquidem dictum est sudoriferis calida omnia esse, quid nî, non solum humoribus, uti dictum est, frigidis potius, quam calidis, contraria siquidem sunt contrariorum remedia, verum etiam temperamentis frigidis, qualia sunt phlegmaticorum. Item agrotantibus morbis potius frigidis, quam calidis, & a bile aciore dependentibus, detentis? Quid igitur factō opus, si in circumstantijs contrario modo te habentibus sudor movendus, puta in homine naturā calido & bilioto, aut morbo calido, & ab accentuabile dependente detento, quales sunt febres præcipuè ardentes? Si enim porrigitis sudoriferum, agro potius obes, quam prodes, utpote ejusdem indispositionibus non contraria, sicut requirit Mendendi recta Methodus, opponendo, sed potius similibus eas intendendo. Sive rò non porrigitis, tunc neque indicantis facis, neque tuam intentionem adimplies.

Quid,

Quid, inquam, ergò factō opus? Di-  
co quòd si per alia dictis repugnantibus  
non refragantia adeò, sicut iudorifera,  
necessitati satisfacere possis, E. G. per  
purgantia, alterantia, aut quæcunque  
alia, id te utique tentare debere, quòd si  
verò non possis, sed absolute necessarius  
videatur diaphoreticorum usus, tunc in  
eorum artificio a electione ex dictis diffi-  
cultatibus se extricandi medium esse quæ-  
rendum. Scire verò te oportet, quòd,  
etsi omnia diaphoretica calida quidem  
sint, non tamen omnia sint æque calida,  
sed eorum quæpiam utcunque ad tempe-  
ratum vergentia, & propterea in allega-  
tis casibus non solum calidioribus longè  
præferenda, verùm etiam satis secura. Sic  
china, falsaparilla, lignum buxi, quod  
quidam ligno sancto longè calidiore in-  
virtute æquiparant, bol. armen. terra  
sigil. c. c. os de corde cervi, unicoru,  
ebur, Lap. bezoar. milium, ex quo est  
famosus ille syrups D. Ambrosij appel-  
latus & similia temperata valde sunt, &  
qua-

quasi refrigerantia, præcipue syrups iudicatus Divi Ambrosij propterea infribus, præsertim paroxymorum declinatione, valde ab Authoribus commendatus. Alia econtra calida valde sunt, ut lignum sassafras, lignum sanctum, scoridum, allium, sulphur. tal CC. volat. & spiritus ejusdem, theriaca, Mithridatum & similia, quæ proinde in enarratis casibus non facilè usurpanda, nisi cum alijs temperationibus corum caliditatem infringas.

Rursus quæpiam eorum fortiora sunt, ea nimirum, quæ calidiora, quæpiam mitiora, quæ scilicet temperationia, atque adeò, si citra artificiosam electionem occurrente sudoriferi necessitate quodcumque obuium, & illud forte fortius arripias, ægrum facile alias forte viribus destitutum gravissime lædes. Quod ipsum censendum est, etiam de sudoriferorum quantitate, in qua nisi moderamen observetur, quoque facillimum est peccare, & in eam ignominiam incurtere, quam

incurrit meo tempore Viennæ quispiam Medicus, qui dum certo Juris Consulto febre malignâ decumbenti, & extremè jam enervato non solùm diaphoretico-alexipharmacum potentissimum, ut nimiri efficiens rehitentem sudorem proliceret, porrexisset, verùni etiam euni immoderatis tegumentis coopertum à duobus famulis, ne se denudaret, sub cooperientis plumaceis incessanter custodiri curâisset, illud tandem effecit, quòd miser patiens unà cum copioso sudore in omnium conspectu ipsam etiam animam exsudârit, quod tamen fortè factum ita certè non fuisset, si ille respectis in eo casu contraindicantis vices gentibus viribus diaphoreticum ei mitius porrexisset, quòd necessitatì tamen, id est indicanti malignitati satisfecisset, repetüsset id læpius, aut dum diaphoreticum illud potentius porreixerat, eum saltē non admodum contexisset, aut tamdiu in sudore non detinuisse, quemadmodum bene ad propositum Guern.

Rola

Rofinc. Cavendum, ne carnes colliquentur nimiâ diaphoresi, & ita cum multum prodesse studemus, plûs noceamus. Tyranici consilij est, committere, ut corpus digeratur sudore, & anima deficiat languore.

Huic non absimilem errorem recordor aliquando commissum fuisse hic La baci in Textore quodam infra arcem decumbente, & pariter febre malignâ cum maculis petechialibus detento. Hic quotiescumque ad provocandum sudorem, & cum eo propellendam ab inferioribus ad exteriora malignitatem assumptera Theriacam, toties præter largissimum sudorem incidit in largissimam narum hæmorrhagiâ, ei ultimatim exhausto nimis nativo fonte, & revocatis ad interiora petechijs etiam lethalem factam. Quis scit, si ille theriacæ valde calidæ atque adeò non solum febrim plûs accendentis, verùm etiam languinem nimirū attenuantis, & fluxilem reddentis loco, temperatore aliquo diaphoretico alexipharmacô usus fuisse, an istud ipsum ei accidit?

dislet? Ego ex mea parte de eo valde dubito. Tu proinde imposterum, ex istis infaustis Casibus cum diaphoreticis cautiis procedere, atque cum ijs diaphoreticorum indicanti satisfaciendo etiam contraindicantium respectum habere scies, recordaberisque poëtæ illius: *Felix*, quem faciunt aliena pericula cautum.

Si dicas, Medicis in nullo fermè morbo tam frequentem esse sudoriferorum usum, quam in febribus, sed in istis peccat vel maximè bilis ( quæ calida est ) præcipue si acutæ eæ sint, ergò vel malè id practicatur, vel malè à nobis dicitur diaphoretica trigidioribus potius, quam calidioribus humoribus deberi. Sed Respondeo jmdò etiamnum sub judice litem esse, quidnam potissimum peccet in febribus, seu quæ sit propria febrium causa: alij quandoquidem incusant bilem alijsue putrescentes in corpore humores, alij succum pancreatum cum bile in intestino duodeno effervescentem, alij aliud quodpiam acidum fermentativum &c.

ad eoque ex hoc capite nullum solidum argumentum posse elici contra diaphoreticorum in febribus usum, consequenter nec, quod non debeantur potius frigidis, quam calidis humoribus. 2dò Dico, quod qualiscunque sit etiam propria febrium causa, non tamen exinde sequi male eis ordinari inter cetera remedia quoque diaphoretica, neque illud, quod non convenienter potius frigidis praecipuerero, & tenuiori pituita, quam calidis humoribus: quia etsi ista quidem potissimum peccare in febribus praecipue acutis nemo facile assere audeat, neque tamen negare potest quemcunque etiam febres causantem humorem, sive bilis illa sit, aliisque quispiam in corpore putreficens humor, veluti senserunt antiqui communiter: sive stictus pancreaticus cum bile in intestino duodeno vito se effervescent, uti existimat Sylvius: sive aliud qualecunque acidum fermentatum, prouti vult Ettrmullerus, non posse unà cum ipsis per diaphoretica felicitet

evacuari, consequenter etiam pro ijs be-  
ne ordinari quandoque diaphoretica.  
Accedit, quod in febribus non solum  
intermittentibus, verum etiam continuis  
principiè nothis frequentes adesse toleant  
obstructiones ab humoribus crudis, cra-  
sis, & pituitosis dependentes, impedien-  
tesque, quò sanguis minus promptè cir-  
culetur, perfletur, atque in ad id à na-  
tura destinatis locis se ab excrementicijs  
humoribus, seu heterogeneis illis, & fer-  
mentationem illam, seu ebullitionem fe-  
brilem causantibus particulis acido salinis  
eliberet, quæ proinde nullo medicamen-  
to quasi feliciùs reserantur, quam blandis  
diaphoreticis, utpote incidendi, atte-  
nuandi, & aperiendi insigni facultate  
præditis. Quamvis tamen, uti jam di-  
ctum est, ad id non promiscuè semper  
quæcunque diaphoretica apta sint, sed  
nunc calidiora, nunc temperatiora, pro-  
ut circumstantiæ id suaderint, quemad-  
modum hac de re adhuc plura in parte  
secunda hujus tractatūs, ubi de febre mā-  
ligna fiet sermo.

## CAPUT XIV.

*De artificiosa electione inter diuretica  
instituenda.*

**U**RINAM scientia diuretica græcis dicta tantam teste Daniele Sennerto lib. 5. Instit. Med. part. I. Sect. I. cap. 14. cum diaphoreticis, de quibus capite præcedente actum, habent cognitionem, ut per læpe idem medicamentum & urinam & sudorem procurare valeat: urinam quidem si renes sunt calidiores, cutis verò densa, materiaque resideat in hepatis convexo, atque inclinationem, & propensionem habeat ad renes, sudores verò, si renes sunt frigidiores, pori cutis verò rariores, materiaque in venis cuti prioribus resideat, & ad eas inclinationem habeat. Ut proinde meritò absoluto de diaphoreticis sermone, nunc in diuretica inquiramus.

Est verò eorum usus, prouti ex nomine ipso patet, urinam ciere.

Indicans verò humores quicunque in mat-

massa sanguinea, quin imò & cætero corpore, præcipuè verò gibba hepatis parte, liene, renibus, & vesica contenti, & ad vias urinarias vergentes, præ cæteris verò humor aquosus ex potu, & juscultentis superstes, & cum sanguine sub feri nomine ad renes deferri, ibidemque vesicam versus transcolari solitus.

Vis verò, quâ astio ista perficitur calor & siccitas talium medicamentorum, sed minor, quâm in diaphoreticis, mediante quo humores in massa sanguinea, & alibi contenti, nisi aliâs sunt, inciduntur, attenuantur, funduntur, & in feri formam redacti per renes vesicam versus prolixiuntur. Quod tamen de ijs solùm, quæ propriè talia sunt, audiendum, non verò de illis, quæ impropriè diuretica appellantur, qualia sunt, quæ urinæ excretionem in tantum solùm reddunt uberiorum, in quantum largiorem aquositatem corpori suppeditant, aut nimiam, & ferositates, quæ propria urinæ sunt materia, exsiccantem, & ablumentem

sive humorum, sive viscerum caliditatem temperant, adeoque per accidens saltem sunt causa, quod urina copiosius profluat.

Recensentur vero inter propriè diuretica communiter ab Authoribus, & in specie à Daniele Sennerto tequentia: rad. petrosel. apij, fæniculi, ruci, gramin. eryngij, glyzyr. asparag. valerian. pimpi nel. spicæ nardi, asarum, absint. Eupat. capil. vener. urtica, beton. chamæpit. chærefol. ruta, scordium, cic. rub. sem. amil. fæni. lelel. chærefol. milijsol. saxifrag. malu. althæ. bac. junip. amygd. amar. nucl. persic. & ex ijs aqua cum maluat. destil. ficus, cinam. cæbeb. cardam. cassia lign. thereb. spir. jal. sulph. & tartar. quibus ab alijs insuper adduntur rad. asparag. raphan. anonid. rubiæ, fol. virgæ aureæ, turi on. asparag. fructus alkekengi. lignum nephrit. stercus anserinum, cicadæ, grilli, cantharides, lap. lyncis, judaicus, ocul. 69. salia & lixivia, aquæ, & quæcunque ex enumeratis simplicibus parata, aut com-

composita, quorum quāmplurima vide-  
re licet apud Rolfinc. in Meth. Med.  
Comment. & apud alios.

Inter impropriè diuretica verò vinum  
oligophorum, album, tenuéque semina 4.  
frigida dicta melonum, cucurbit. cucum,  
citrul. & caro eorum, hordeum, fraga, aci-  
dulæ, & ierum laetis, quibus accedunt rad.  
althæ, cicbore. fol. althæ. malu, endiu-  
pariet. melil. acetos, sem. 4. frig. min. pas-  
sul. &c. indeque confecta, qualia rursum  
videre licet apud memoratum Rolfinc.

Jam dirigendo sermonem ad proposi-  
tum: Diximus superiùs diuretica calida  
& sicca esse: quid nî igitur humoribus  
potiùs frigidis, quām calidis, naturis po-  
tiùs frigido, quām calido temperamento  
præditis, corporibus potiùs phlegmaticis,  
& corpulentis, quām biliosis, & ema-  
ciatis, & affectibus potiùs à causâ frigidâ,  
quām calidâ dependentibus convenient?

Quid igitur Consilij, si urina in rebus  
contrario modo constitutis veniat mo-  
venda? quid, si renes, vesica, cæteriue

ductus urinarij affectione aliquâ, ponamus, inflammatione, exulceratione, aut alio quopiam vitio, quo in easu ad urinaria tanquam ad partem affectam ducere est vetitum ab Hippocrate, laborent? Numquid in talibus casibus diuretica forent noxia?

Respondeo in tali casu diuretica fore noxia, si quis quibuscumque promiscue, & citra electionem pro contraindicantis ratione institutam uteretur, concedo si quis verò cum respectu ad contraindicans talia eligeret, quibus illud contraindicans non repugnat, nego. Non repugnat verò impropriè dictis diureticis, utpote calidam illam & sicciam qualitatem, ratione cuius diuretica in dictis casibus possent obesse, sibi conjunctam non habentibus. Adeoque qui cum diureticis recte procedere volet, ubi caliditas, qualis pollere dictum est solùm diuretica propriè talia, ipsi obconcommitans aliquod quodcumque tandem suspecta videbitur, sciet eligere ex diureticis potius impro-  
priè

priè talia, tanquam, quæ urgenti diuretica indicanti satisfacere valent æquè, ac propriè dicta diuretica, non tamen caliditate & siccitate ita obesse possunt, sicut illa. Aut certè si ob crassiorē aliquem, viscidiorē humorem tamen majori attenuatione, aut incisione opus esse videbitur, ex propriè dictis diureticis, ea eliget, quæ temperatiora sunt, quales sunt radices gramin. glyz. yr. asparagi, eryngij, ex herbis capil. ven. chamom. ex fructibus cicer. rub. & similia, à calidioribus verò abstinebit, præterim à cantharidibus tale acerrimo, & quasi igneo, vesicæque maximè noxio præditis.

His fundamentis innixas binas potiones proponit Guernerus Rolfinc. in urinæ difficultate & doloribus à calculo, quarum ista quidem est Cratonis:

**R. Passul. major. min. aa. unc. i fol.**  
**veronicæ m. ss. rad. althææ unc. ss.**  
**coque in aq. font. q. ss. colat. unc.**  
**viiiij adde mel. puri, butyr. rec.**  
**aa. unc. ss. f. potio.**

Altera, & ea quidem sua est:

R. Rad. althææ grossø modo incise,  
 & conquassatæ, drach. vi coque in aq.  
 font. q. s. Colat. lib. j adde vitel-  
 lum ovi no. j. butyr. majal. dr. iii  
 & de ea bibat æger difficulti mictione  
 à calculo laborans.

Quæ ambæ potiones in eo alijs in memo-  
 rato casu mihi videntur præferendæ, quod  
 indicanti, urinæ scilicet retentæ & pro-  
 pterea pellendæ suaviter tatisfaciant, du-  
 ctusque abstergant, & tamen dolorem  
 non exacerbant, quod tamen ex fortio-  
 ribus, & acrioribus omnino esset perti-  
 metendum.

Adhuc ferè elegantior, ubi miti, ac  
 temperatiore diuretico opus videtur, est  
 potio ista ejusdem Rofincij:

R. Rad. cichor. althæ. aa. dr. ii  
 glyzyrrh. rafæ, petroset. aa. unc. i  
 cicer. rub. unc. ij bord. mund. m. ss.  
 passul. major. min. aa. lib. ss sem.  
 malu. althææ. aa. dr. i. 4 frig. maj.  
 aa. dr. i/s caric. num. X. coque in  
 s. q.

*s. q. aq. font. Colaturæ lib. ij adde  
spir. salis scr. ss nitr. gt. iv. M.*

Item ista emulsio:

*R. Sem. 4. frig. maj. cum cortic.  
aa. dr. ij alkekengi. dr. iii. melon.  
dr. ij contusa emulgeantur cum aq.  
alth. & lactucæ vel ser i laet. stil. q.s.  
Colaturæ unc. xij adde Sacch. q.s.  
vel loco ejus syr. de althæa Fern.*

Atq; ex ipsis demum opparet, qualiter per artificiosem electionem quoque difficultatibus in usu diureticorum ratione occurrentium quandoque contraindicacionum intervenire solitis obuiare commode liceat.

## C A P U T X V.

*De artificiosa electione inter alterantia  
instituenda.*

**A**lterum, & hactenus dictis non minus famosum in Arte Medica remedium genus sunt alterantia. An proinde, & quantum in superandis in complicatorum curationibus occurtere solitis

difficultatibus possit facta quoque inter ista artificiosa electio, in praetenti dispiceret juvabit.

Sciendum verò est eorum munus seu facultatem esse præternaturales sive humorum in corpore existentium, sive partium corporis ipsarum qualitates alterare, seu in statum connaturalem, vel saltem meliorem reducere, adeoque pro indicante suo humores in corpore existentes, vel partes ipsas, prout præternaturali aliquâ qualitate, quæ in partibus communiter intemperiei nomine venit, affectas agnoscere; perficere verò talem actionem mediante tali aut tali qualitate cuiuslibet tali medicamento à natura in prima elementorum mistione inditâ: sic refrigerat lactuca mediante frigore, in prima elementorum mistione ob exsuperans in ea aquum, adeoque frigidum elementum, ipsi indito, calefacit econtrà mentha mediante calore in prima elementorum mistione ob exsuperans in ea igneum, adeoque calidum elementum, ipsi ito, & sic de cæteris.

Jam

Jam quemadmodum sunt variæ elem-  
entorum mistiones , ita quoque varij  
qualitatum eisdem propriarum concur-  
sus , & quemadmodum elementa variè in-  
vicem concurrere valent , ita ut nunc  
unum solum cætera in misto superet ,  
nunc plura , ita quoque qualitates eis pro-  
prias contingit variè ad invicem se habe-  
re , ita ut nunc unica qualitas cæteras om-  
nes superet in tali misto , nunc plures .  
Et inde est , quòd non solum hoc nume-  
ro alterans sit refrigerans , illud verò cale-  
faciens , hoc humectans , illud exsiccans ,  
verùm etiam , quòd hoc sit refrigerans  
simil & humectans , illud econtra cale-  
faciens & exsiccans , aut hoc refrigerans  
simul & exsiccans , illud econtra calefaci-  
ens & humectans , aut planè etiam con-  
trarijs , uti testatur Gal. lib. 3. de simpl.  
Med. fac. c. 14. & 15. pollicat facultatibus .  
Quod ipsum suo modo ratiocinari licet  
etiam de secundis qualitatibus , quæ sunt  
emollire , indurare , condensare , rarefa-  
cere , resolvere , attenuare , incrassare ,  
attra-

attrahere, repellere; uti & de tertijs, quæ sunt urinam movere, cranem generare, calculos frangere, menses ciere, & vomitum proritare, facultatibus.

Pari modo, quemadmodum in mistis talis contingit elementorum concursus, ut in hoc, aut illo numero mixto hoc aut illud elementum plus exsuperet, cætera, quam in altero numero mixto, ita etiam fit, quod in hoc aut illo numero mixto alterante, una aut plures qualitates magis aut minus excedant cæteras, quam in altero numero alterante, atque adeò accidit, quod intra eandem speciem unum alterans sit intensius altero plus vel minus, prout in eo est plus aut minus de tali, aut tali elemento, consequenter intensior est hæc aut illa qualitas, quam in altero. Inde postmodum talia aut talia in primo gradu, in secundo gradu, in tertio aut quarto gradu. Et in primo quidem gradu, si corpori humano admota illud vix sensibiliter afficiunt: in secundo, si manifestius, citra tamen ultimam

lam læsionem corpus afficiunt: Inter-  
tio, si non solum manifestè corpus affici-  
unt, sed vehementer, & cum molestia:  
in quarto denique, si corpus vehemen-  
tissimè, & cum maxima læsione affici-  
unt: qualia sunt græcis *narcotica* & *hyp-*  
*notica* stupefacentia, & toninum conci-  
liantia, dicta. Item *cataretica* exeden-  
tia, seu corrodentia, *pyrotica* adurentia,  
*Escharotica* crustam inducentia, *caustica*  
idem quod *Escharotica*, sed adhuc cum  
majore vehementia facientia. Quorum  
omnium exempla videre est pluribus apud  
Danielem Sennertum Inst. Med. lib. 5.  
p. i. f. i. c. X.

Jam tandem ad nostrum propositum.  
Quandoquidem inter alterantia juxta jam  
dicta tanta est diversitas, ut non solum  
ex eis alia sint calefacentia, alia refrige-  
rantia, alia humectantia, alia siccantia,  
sed præterea quædam calefacentia, & hu-  
mectantia simul, quædam refrigerantia  
& siccantia, & neque hoc quidem in  
gradu semper æquali, sed nunc intensio-

re, nunc remissiore, prout nimirum in  
hoc aut illo numero alterante hoc aut il-  
lud elementum, hæc aut illa qualitas cæ-  
teras plūs aut minūs superat. Quin imò  
propter variam, & eam vix explicabilem  
dictorum elementorum permisionem,  
& corundem qualitatum combinationem  
plurima eorum, & alijs præterea polleant  
facultatibus, videlicet attenuandi, in-  
crassandi, astringendi, laxandi, rarefa-  
ciendi, condensandi, exedendi, conso-  
lidandi, & similibus, procul dubio se illæ,  
qui hoc ipso, quod hujus aut illius alte-  
rantis occurreret indicatio, mox quod-  
cunque obvium ex illa specie arriperet,  
puta, ex calefacentibus quodcunque ca-  
lefaciens, aut ex refrigerantibus quod-  
cunque refrigerans &c. maximis difficul-  
tibus involveret, & gravissimis peri-  
culis exponeret. Numquid cum tæpe-  
tale refrigerans, aut calefaciens arripere  
contingeret, quod aut respectu indica-  
tis minūs efficax esset, aut illud longè ex-  
cederet, adeoque dum sorte intenderet

can-

tantum, aut tantum calefacere, aut refrigerare, humectare, aut siccare, id vel vix efficeret, vel intensius efficeret, quam indicans postulat: adeoque loco moderatae calcinationis adureret, & vesicas excitaret, loco moderatae refrigerationis congellaret, & lenium adimeret, loco moderatae humectationis planè mollitem induceret, & loco moderatae exsiccationis omnimodam indurationem. Vel posito quod is indicanti æquale, & proportionatum alterans secundum eam, quam intendit, qualitatem exquisiverit, adhuc tamen omnem difficultatem non evasit, eò quod illud ipsum alterans indicanti undique proportionatum & conveniens, possit habere sibi adjunctam adhuc aliam quampiam qualitatem, sicut id jam alias ex Gal. fuit prolatum, propter quam ejusdem usus ratione contraindicantis adhuc sit suspectus, & propterea intermissus, & ejus loco aliud alterans quod ejusdem quidem sit, quam indicans postulat, facultatis, non tam  
men

men sibi ullam aliam contraindicanti noxiām habeat conjunctam qualitatem, eligendum. E. G. si in prægnante calefaciente facultate esset opus, aut in puerpera refrigerante, sint econtrà ex calefactibus quām plurima, quæ præter calefactivam, quoque mentes ciendi, fætūmque expellendi habeant facultatem, & ex refrigerantibus multa, quæ præter refrigerantem, quoque astringentem vim possideant, quarum tamen utraque est periculosa, illa scilicet in gravidis, ne fætum præcipitet, hæc in puerperis, ne lohia ad earum salutem tamen usque adeò necessaria, sistat. Quid nî, quoque horum loco, alia essent artificiosè, nisi impingere velles, eligenda? Quod ipsum ratiocinari licet & de alijs simili modo, ut proptereà amplius dubium non sit, quoque mediante artificiosa inter alternantia instituta electione plurimas in complicatorum curationibus occurrentes difficultates dexterimè posse evitari. Quò verò in specie, quænam ex alteran-

rantibus, & quoniam in intensionis gradu sint talia, aut talia, ne ex illis hic adductis opus istud proposito, & intentione nostrâ longius evadat, adire potes Galenum de simpl. Med. facult. & post eum in specie Daniellem Sennertum lib. 5. Institut. Med. p. 1. S. 1. c. 3. & sequent. ubi non solum omnium ferè alterantium qualitates in unum collectas repères, verum etiam alia quam pluriina ad pleniorem presentis materiæ intellectionem multum conducibilia.

Alterantibus quidem communiter corroborantia, & specifica, seu cuilibet parti specialiter dicata, & eandem præfatis sive ob sympathiam, seu vim quamdam occultam, sive manifestam respiciuntia adnumerantur: in quorum usu vero, quia eadem ferè veniunt animadvertenda, quæ in simpliciter alterantibus non nimis hoc ipso, quod quæpiam pars sit corroboranda seu specialiter respicienda, mox licere arripere quodcunque talis partis specificum, sed debere videri,

an id non fortè possit esse ratione alterius cuiuspiam sibi adjunctæ qualitatis suspe-  
ctum, adeoque potius intermitendum,  
quam usurpandum, & ejus loco potius  
aliud quodpiam tali suspectâ qualitate  
non præditum eligendum. Quoniam,  
inquam, eadem veniunt in istis animad-  
vertenda, quæ in alterantibus, speciali-  
ter de eis agere, superfluum videtur.  
Exempla verò corundem videre licet  
apud paulò ante citatum Donielem Sen-  
nertum, l. 5. Inst. Med. p. 1. S. 1. c. 4.  
& adhuc fusiùs apud Guern. Rofinc.  
Meth. Med. Specialis Comment. lib. 7.  
Sect. 1. c. 1. & sequentibus.

## CAPUT XVI.

*De artificiosa electione inter alexiphar-  
maka instituenda.*

**A** Lexipharmacæ seu venenis, & vene-  
natis dispositionibus dicata medica-  
menta, è quòd occultis ( etsi id alijs al-  
ter placeat ) censeantur agere qualitati-  
bus, sicut vulgaria alterantia manifestis,  
quis quoquè suo modo alterantia nomi-  
nare

nare posset: ut propterea post vera alterantia non immerito quoque alexipharmacā in examen vocentur.

Considerare verò ea licet dupli modo: uno, quo alexipharmacā sunt, altero, quo simpliciter mista: quā alexipharmacorum idem quidem, & communis est omnium usus venenis, & venenatis morbis resistere, ut propterea quoad hoc nullus sit scrupulus, sive uno, sive altero eorum in casu necessitatis utaris, dum modo tali aut tali veneno appropriato, quēmadmodum similium exempla videre licet rursus apud Sennertum & alios Authores. Verūm difficultas in eis, quā mistis est, adeoque præter dictam alexiteriam, & occultam, adhuc alias manifestas qualitates sibi conjunctas habentibus, ad quas nisi quis respectum haberet, sed occurrente necessitate, quocunque alexipharmaco uteretur, saepe necessariò impingeret, quod tamen ne ei, si artificiosam inter ea electionem adhibeat, accidat, periculum non est.

Veritatem hujus si cupis, alexipharmaea singula in particulari considera, & videbis, quod eorum alia sint calida, alia frigida, vel saltem temperata; alia praeter rea astringentia, & incrassantia, alia aperientia, & attenuantia, alia insuper menes, aut urinam, vel etiam ipsum factum pellentia, alia alijs adhuc qualitatibus praedita, sic inter calidiora est dictamus, carlina, angelica, zedoaria, pimpinel. petasitis, allium, card. benz. ruta scordium, theriaca, mithridat. Sal CC. volat. spiritu ejus, sulphur &c. Interfrigida tormentilla, bistort. scorzon. bol. armen. ter. sigil. CC. os de corde cervi, cornu alcis, unicor lap. bezoar. (quæ duo tamen multis videntur plus in spe & opinione, quam in re ipsa valere) saphirus, hyacinth. granat. smaragd, coral. nitrum, succus citri, granator. rub. idæi &c. Inter astringentia & incrassantia rursum tormentil. bistorta, bol. armen. ter. sigil. coral. rub. CC. &c. Inter aperientia econtrà & attenuantia dicta calida fermè omnia. Inter menes, factum,

tum, & urinam pellentia, rursus *dictamus*, *angelica pimpinel.* teste Galeno ad Pamphilianum, theriaca, & magna corum, quæ calida sunt, pars. Et ex ijs denique, quæ adhuc alijs qualitatibus quandoque suspecta sunt, est camphora, de se valde alexipharmacæ, sed quòd caput valde petat; teste Minderero in Med. Milit. & Etmüller de febr. maligna in ijs, qui capitis affectibus sunt obnoxij, valde cautè usurpanda. Idem est & de lapide *bezoardico maximo illo*, & pretiosissimo, & de quo specialem tractatum conscripsit Caiparus Bauchinus, alexipharmaco, qui ipse quoque eò, quòd teste Paulo de Sorbait Archiatro quondam Cæsareo cap. de variolis ob vim quamdam mercurialem humores ad caput & fauces adeò sublimet, ut planè apoplexiā cauſare possit, & Ferdinandum 4. Rom. Regem variolis laborantem in majore quantitate exhibitus aliquando interficerit, cautè, præcipue in dosi majori, venit usurpandus. Et sic de alijs.

Inter quæ omnia, nisi quis aptam electio-  
nem facere, & loco hujus aut illius, quòd  
ratione concurrentis alicujus contraindi-  
cantis suspectam aliquam sibi conjunctam  
habet qualitatem, aliud quodpiam, quod  
simile quid non habet, substituere sciret,  
necessariò impingeret, atque læpe in præ-  
gnantibus venenum & malignitatem in  
corpore oppugnando abortum procu-  
raret, in puerperis lochia sisteret, in in-  
tensè febricitantibus febrem adhuc magis  
accenderet, & in similes turpissimos er-  
rores incideret, quod verò tamen pru-  
denter noverunt mediante dictâ artifi-  
ciosâ electione evitare Practici cautores,  
quemadmodum id præcipue videre est  
apud Ettmullerum de febre Maligna,  
Mindererum in Medicina Milit. ubi dum  
in malignis theriacæ caliditatem metuit,  
eius loco electuario Diascord. Frac. tan-  
quam minus calido utitur; porrigit id in-  
super etiam in aceto, aut succo acetosæ  
rec. expresso, quò ejus caliditatem ad-  
huc magis infringat, & apud alios. Imò  
etiam

etiam in præsente tractatu cap. de sudoriferis, & in parte secunda de febre Miligna.

## CAPUT XVII.

*De artificiose electione in victu  
instituenda.*

**Q**uandoquidem de electione inter ea facienda, quæ res præter naturam dicitas, morbum nempe, causam ejus, & symptomata respiciebant, haec tenus actum, conveniens videtur, ut in præsenti de electione quoque inter ea, quæ ea, quæ in homine secundum naturam sunt, respiciunt, instituenda fiat locutio. Sunt verò talia, vel medicamenta, vel alimenta, quæcunque verò intelligas, est de utrisq; eadē quoad rem nostram ratio, nimurum in quibuscunque subinde oportere certa quæpiam præ alijs eligere, quemadmodum de illis jam quidem capite 15. sub nomine corroborantium mentio facta, nunc verò facienda supcrest de alimentis. Vbi quidem advertendum alimenta aliter etiam sub victus nomine ve-

nire, quemadmodum illud patet ex Hippocrate, qui in suis aphorismis hinc & inde, præcipue in Sect. I. hujus nominis sapius meminit, semper per illud nutritionem, & ea per quæ talis perficitur, alimenta nempe, subintelligendo: sub quo proinde nomine, & nos ea hic accipimus.

Difficultas verò, si præcisè ad rem nostram loquamur, in eo est, quod vires debiliores, tanquam verum victus indicans refectionem quidem postulent, ventent verò eam per alimenta fieri nunc vitiosi in corpore humores, vi Hippocratici illius; I. aph. 10. *Impura corpora, quod plus nutriveris, magis laedes.* Nunc morbi ipsi, vi rurius Hippocratici illius 7. aph. 65. *Si quis febricitanti cibum præbeat, valenti quidem robur, ægrotanti verò morbus fit.* Alias verò etsi ea quidem admittantur, non tamen admittitur qualiscunque, sed nunc tenvis, nunc alia, prout id rursus colligitur ex dicto Hip. victum suis ægris nunc mediocrem, nunc tenuem, nunc

nunc tenuissimum ordinante. Cui accedit, quod ciborum plerique teste Henrico Mundio in suis prolegomenis de cibis, praeter nutritivam quoque alias medicamentolas sibi habeant adjunctas qualitates, puta, refrigerandi, calefaciendi, humectandi, exsiccandi, astringendi, laxandi, attenuandi &c. Ratione quarum propterea lape suspecti redduntur: atque adeo exoritur quæstio, quidnam igitur agendum in similibus dubijs casibus Medico?

Respondeo cum occurrente cibandi necessitate debere cibationis indicans commensurare cum ejusdem cibationis contraindicante, atque videre, num contraindicans illud adeò cibationis indicanti prævaleat, ut eam citra majus ægri detrimentum prorsus non admittat, qualiter eam non admittunt ex Hippocratis sententia vitiosi in corpore humores, priusquam per apta remedia sint è corpore educti, neque febris tempore paroxysmi, quo cibum dare esse noxiun asse-

rit idem Hip. I. aph. ij, aut eam admittunt quidem, sed non quamcunque, verum exquisitam aliquam? In primo casu eam vi illius, quod suo loco diximus, se nempe urgentiori temperare esse accommodandum, prorius pro tunc omittet; in secundo casu vero talem victus rationem eligit, quae praeceteris a contradicante recipi, & talerari videtur.

Toleratur vero a morbis longis, ut de plena, quae solum sanis competit, nil dicam, mediocris: ab acutis tenuis: a peracutis tenissima, quemadmodum ista omnia luculenter expressa apud Hip. I. aph. 4. & sequentibus usque ad duodecimum videre est, & post eum apud Gal. de victus ratione in acutis, Volleriolam, & alios, qui in Hippocratis aphorismos sua ediderunt Commentaria. Vbi quidem, & cuiusvis victus materias reperi-  
re est; pleni nimirum victus ea omnia, quibus homines sani uti solent, & quibus vires in pleno suo vigore conservantur, aut etiam augentur, quales sunt carnes,

ova, pisces, legumina, & frumentacea  
sercula quæcunque, si tota ingerantur.  
Mediocris ista ipsa, si in minore quantita-  
te assumantur, & ad vires non tam au-  
gendas, quam, ne magis labantur, tuen-  
das. Tenuis, ea, quæ vel in valde par-  
va quantitate assumuntur, aut certè par-  
cè nutriunt, qualis est ptisana, seu hor-  
dei tremor. Tenuissimi tandem om-  
nimoda inædia, aut ad summum melicra-  
tum. Quæ tamen nostro hoc, quo ho-  
mines, secus ac Hip. & Galeni tempore  
plurimum esse, & parùm exerceri solent,  
ita strictè observare vix licet, præcipue in  
eis regionibus, ubi lautiùs vicitandi mos  
est, & propterea consuetudini aliquid,  
vel ipso Hip. docente I. aph. 17. conce-  
dendum. Quod ipsum puta & de anni  
tempore, cuius intuitu I. aph. 15. ple-  
nius esse cibandum in hyeme & vere do-  
cet idem Hip. cò, quod tunc temporis  
plus sit calidi innati in homine, quam in  
cæteris anni temporibus. In æstate verò  
& autumno partiùs, ob contrariam ratio-  
nem.

nem. Et hoc præcipue, si cibandi pueri sunt, aut adolescentes, quos, quia plurimo pollent calido innato, etiam copio siore indigere alimento dicit idem Hip. 1. aph. 14. Senes verò contrario modo, uti istud ipsum ibidem afferitur 1. aph. 13. Viatum tenuissimum verò, seu extremitè tenuem, qualem diximus esse omnimodam inædiam planè non, vel certè rarissimè injungere licet, ne ægrum nimirum ab uno victus extremo, plenissimo nempe, qualis nunc in usu apud plerosque esse solet, deducendo ad alterum, quod periculum centet Hip. 2. aph. 51. merâ fame interfecisse videamus. Pro tenui etiam vix amplius ptisana, quæ antiquis simplex hordei decoctio, vel certè expressus ex eo succus est, nobis hordei tremor dictus, sed hordeum ipsum, præcipue suevicum illud schwâbische Hersten / panatellæ, spinatia, pullorum jura, & similia conceduntur. Quin imò, si ægris vires planè videntur prostratae, ex caponū carnibus contuta jura ein gestesen!

nes & gelatinæ Capaun Sulph juxta ci-  
tatum illud Hip. i. aph. 9. Coniucere au-  
tem oportet, num sufficiat ægro is vidus &c.

Quoad medicamentolas tandem cibo-  
rum qualitates oportet se similiter indi-  
canti cum respectu ad contraindicans ac-  
commodeare, adeoque ubi refrigeratione  
aut aliâ qualitate est opus, eligere tale  
quid pro ægri refectione, quod præter-  
quam quòd ægrum competenter nutrire  
valeat, simul etiam refrigerante qualitate  
polieat, aut saltem non calefaciente, aut  
alio quocunque modo contraria; id quod  
quidem docemur ab ipso Hip. i. aph. 16.  
dum febricitantibus non quemcunque,  
qui saltem victis indicanti simpliciter la-  
tisfaceret, sed in specie humidum cibum  
conferre notat, qui nimirum simul & vi-  
res reficiat, & febrilem siccitatem oppu-  
gnet. Pari ratione ex Galen. 10. Med.  
C. i. dum hecticis victum humidum &  
frigidum ordinat, à melle econtrà tan-  
quam calido & in bilem facile conceitibi-  
li, adeoque febri noxio per se abstinere

jubet, uti & à multa. Ac tandem à Joanne Tilemanno dum diætam aliam facit refrigerantem, aliam calefacentem, aliam humectantem, aliam siccantem. Quare hoc? nisi ut non solum nutritionis indicanti se accomodet, verum etiam ipsi morbo, non semper eandem, sed nunc hanc, nunc illam in medicamentis, consequenter & in victu, medicamentoſam qualitatem pro sui curatione exposcenti: Nullum, si quidem teste Gal. de uſu theriacæ ad pamphilianum, tam efficax remedium Medicina habet, quod ſolitum auxilium afferre queat, si ei vietus vel reficit, vel non adiuvet. Et iſta tandem etiam breviter de artificioſa electione in victu, & ejus materijs facienda.

De qua etiam planè ad propositum Galenus 8.

Met. c. 9.

## CAPUT XVIII.

*De artificioſa electione inter ea , quæ  
per ſe , & per accidens operan-  
tur , iſtituenda.*

**D**icitum fuit ſuperiùs capite 7 inter me-  
dicamenta alia eſſe , quæ per ſe , &  
ex intrinſeca ſibique innata virtute luas  
edunt operationes , alia quæ per acci-  
dens , & ex vi aliunde iſpis adveniente :  
juvat igitur in präſenti pro artificiolaræ ele-  
ctionis coronide quoque breviter perſpi-  
cere , num forte quoque inter iſta facta  
quandoque artificiolaræ electio , aliquid ad  
noſtrum propositum conſerre valeat ,  
nec non ? Et dico , eam omnino conſer-  
re , cō quòd poſſit dari caſus , ubi ea , quæ  
per ſe ex intrinſeca luia virtute noſtræ in-  
tentioni ſatisfacerent , ad manus vel non  
habeamus , vel habeamus quidem , ſed ex  
alio aliquo capite nobis ſuſpecta videan-  
tur , illa econtrà , quæ per accidens tale  
quid präſtare valent , dicto modo ſuſpe-  
cta non ſint. In tali inquam caſu omni-

no consilium est, ista potius, quam illa usurpare, utpote quod taliter æquè satis-  
fiat nostræ intentioni, ac si uteremur per  
se operantibus, & tamen non incurritur  
inde ullum periculum, quod metuen-  
dum foret ex ulo per se operantis, quem-  
admodum illud pluribus videbitur suo lo-  
co, ubi refrigerantium ex alio capite su-  
spectorum loco, vñæ Sectione, purgan-  
tibus, diaphoreticis, diureticis, & hæ-  
magogis utemur. Et patet id etiam ex  
Hip. qui 5. aph. 21. pro Tetano frigidō  
morbo curando frigidæ largâ perfusione  
usus est.

Quibus quadam tenus adiçere liceret  
& illum practicandi modum, quo mediâ  
quasi inter indicans & contraindicans viâ  
proceditur, ad exemplum rursus jam di-  
eti Hip. 6. oph. 12. qui ne in diuturno  
hæmorrhoidum fluxu omnino inhi-  
bendo ægrum in hydropem aut tabem  
deduceret, finendo verò cum, ægrotum  
cum tempore pariter perderet, mediâ  
aliquâ viâ processit, neque nimirum di-  
ctum

Etum fluxum omnino inhibuit, neque eum in sua continuatione permisit, sed occlusit reliquas, unam autem apertam servavit: quod sic nimirum partim evitaret unum, partim alterum impendens periculum. *A diuturnis hæmorrhoidibus curato, nisi una quæpiam servetur, periculum aquæ inter cutem, vel tabis impendet.* Quamvis impendens illud periculum ex omnimoda hæmorrhoidum præclusione, adiuc aliter evitare liceret, si quis nimirum fæculentum illum, & melancholicum sanguinem, qui post cohibitum hæmorrhoidum fluxum in corpore retentus alicujus damni causa esse posset, per Sectionem aliarum venarum suo tempore emitteret, vel etiam mediantibus sanguisugis ex ipsis hæmorrhoidalibus venis. Neque tamen metuendum foret, ne taliter rursus pristinus nimius fluxus refusciaretur, id enim facile non accidere ipse testari possum, qui etsi sèpius talibus, sanguisugas admoverim, numquani tamen nimis copiosum excitatum fuisse fluxum observavi.

Atque ista sunt, quæ pro probatione,  
quod reverâ pro Complicatorum affe-  
ctuum curatione ritè instituenda, & diffi-  
cultatibus in ea ratione contrariarum in-  
dicationum occurrentibus feliciter supe-  
randis non sit melius medium, quam ar-  
tificiosa inter remedia electio, breviter  
adducenda videbantur: ubi scio quidem  
adhuc longè plura induci potuisse, quod  
sperem verò Benevolum Lectorem in eis  
ad horum normam ipsum se facilè inven-  
turum, ab eis Studio supercedeo.

## C A P U T X I X.

*De astuto remediorum in complicato-  
rum affectuum curationibus usu.*

**Q**uantum igitur ad superandas ex  
complicatorum affectuum curatio-  
nibus resultantes difficultates artificiosa  
remediorum electio, quam pro primo,  
& præcipuo complicatos affectus dextrè  
curandi medio proposueramus, valeat,  
ex hac tenus dictis, uti reor, satis patescit.  
Nunc igitur super est solùm determinare,  
quid

quid ad eandem intentionem consequen-  
dam quoque astutus eorundem remedio-  
rum usus, quem pro tecundo, et si re ip-  
sâ primo illi non secundô complicatos  
affectus curandi medio adduxeramus,  
valeat.

Neque verò quæstio est, de usu illo  
medicamentorum ordinario, qui affecti-  
bus quibuscunque etiam non complicata-  
tis competit, & ad quem sufficit, modò  
se quis indicanti accommodet, adeoque  
utatur remedij simpliciter eo, quo ab in-  
dicante suêre indicata, modo, sed de eo,  
qui solis complicatis proprius est, & in  
quo etiam contraindicantis respectum  
habere necesè est.

Rei difficultas verò in eo versatur,  
quod insimilibus casibus indicans quidem  
indicit remedium tali aut tali modo usur-  
pandum, verùm talem usurpationem pro-  
hibeat unà concurrens contraindicans.  
E. G. si veniret expurgandus quispiam co-  
piosissimâ Cacochymia refertus, sed viri-  
bus valde deslitutus: in tali casu maxima

cacochymia indicaret purgans medicamentum in summa dosi, prohiberent id verò in ea quantitate prostratæ vires; unde exoritur quæstio, quidnám in tali casu agendum Medico, si indicanti satisfacere vellet, absque eo, quòd tamen vires adhuc magis offenderet, præcipuè si supponamus Medicum ob quamcunque tandem causam non posse facere minùs, quin necessariò tali numero medicamento utatur?

Ad quod igitur ut respondeam, dico, istam quidem difficultatem non esse de nihilo, tantam tamen non esse, quæ per astutum ejusdem numero purgantis usum nequeat superari. Quis ergo est astutus ille usus? dico, esse ejusdem medicamenti in minori quidem quantitate exhibitionem, sed toties iteratam, donec dicta cacochymia universim exhauriatur. Sic enim latis fit indicanti cacochymiæ, & tamen in debiles vires non peccatar, ut potè quæ ad paulatinas tales expurgationes et si læpius repetitas facile non deficiunt,

unt, veluti id colligere licet ex Hip. 2.  
aph. 51. ubi plurimum & repente vacuare  
periculosum esse asserit, paulatim verò quod  
fit, esse tutum.

Sed videamus rem majoris claritatis  
gratiâ in ulterioribus exemplis: Avicen-  
na apud Sorbait tract. I. proxcos Med.  
c. 58. dum frigidam ventriculi intempe-  
riem cum pipere curare vellet, timeret  
verò ne eodem medicamento hepatis ca-  
liditatem intenderet, usus est quidem pi-  
pere calefaciente, sed non in quacunque  
forma, verùm tali, quo illud ita facile ad  
hepar non pervenire supponebat, inte-  
gro nempe. Adjunxit ei etiam, & rur-  
sus astutè, ptilanam hepatis simul refrige-  
randi gratiâ, & quidem in forma liquida,  
quia nimirum supponebat eam in tali for-  
ma citius è ventriculo hepar versus rapi,  
quam si in solida forma refrigerans ali-  
quod cum pipere exhibuisset, adeoque  
hâc ratione satisfactum iri & uni, & alteri  
affectui, absque tamen eo, quod alteru-  
ter per alterius remedium offendetur,

quod tamen non adhibitâ istâ in piperis & ptilanæ usu astutiâ facile contingere potuisset.

Pari ratione Mindererus in Medicina sua Militari dum ad profligandam malignarum febrium malignitatem, electuarij diacordij Fracast. uti vellet, videret verò aliquando ei per se, & soli usurpatō obstatre intensem febrilem æstum, illud non per se, & solum, sed cum aceto rosaceo, aut acetosæ succo junctum porrexit: quâ aliâ de causâ, quam quia supponebat taliter attemperatum iri dicti electuarij caliditatem, quæ febrem alias intentam adhuc magis intendere potuisset, absque eo tamen, quod de alexipharmacea vi ipsi quicquam adimeretur? adeoque taliter astutè succurrit malignitati, absque eo tamen quod obfuerit febri, quod tamen ita tutò non effecisset, si soli indicanti, malignitati nempe citra specialem febris in tali casu contraindicantis vices agentis respectum se cum dicti electuarij usu accommodâisset.

Dioſcorides etiam dum ad curanda ulcera ærugine uti vellet, tanquam medicamento desiccante, & detergente, ſcribet verò ei per ſe uſurpatæ tantam acrimoniam inesse, & erodendi vim, quæ & dolorem nimis intenderet, & ulcera profundiora efficeret, quid fecit? addidit ei valdè aſtutè ceram, & oleum tanquam talia quæ anodynâ ſuâ virtute dolorem demulcerent, & humiditate ſuâ atque ientore æruginis acrimoniam eatenūs obtunderent, ut ei tamen ſufficiens permitteretur ulcera desiccandi, & detergendi, adeoque carne implendi facultas.

Non abſimili modo Bartholomæus Maranta in Meth. dignosc. simpl. lib. 3. c. 8. afferit ſcammonio & ſimilibus veherentiffimis medicamentis nunquam eſſe utendum ſolis, ſed ſemper alijs correcti- vis, & viſcera, quibus ſimilia medica- menta veneni ferè instar ſolent eſſe infeſta, corroborantibus, & ab eorum maxi- mā acrimariā ea defendantibus, junctis. Quare? proptereà, quia ſe ſola uſurpata

expurgarent quidem humores peccantes, propter quos porriguntur, verum simul visceribus maximam vim inferrent, adeoque dum quis per tales eorum usum adniteretur succurrere uni, obesset alteri, quod vero minime metuendum, si usus cautè, & cum respectu ad contraindicans instituatur.

Rursus Dioscorides ad oculorum vitia acatiae succum eatenus lavare jabet, ut aqua pura evadat. Profecto non sine mysterio, propterea nempe, ut acrimoniā oculis noxiā, quae dicto succo inest, eluat, adeoque astutè præcaveat, ne dum cum dicti succi vi astringente, repellente, & refrigerante intenderet succurrere uni vitio, calidis nempe defluxionibus, obesset ob adjunctam ei acrimoniā alteri, dolori nempe.

Verbo, ne plura inducendo exempla tempus perdam, dico omnes ferè medicamentorum usitatas præparations, quales fiunt macerando, decoquendo, urendo, limando, terrendo, & similibus in-

finitis propemodum modis propterea potissimum fieri, ut per talcm præparacionem aliquid tale eis adimatur, quo fortè conferendo uni intentioni possent obesse alteri. Dixi potissimum, quia scio etiam alias esse subinde talium præparacionum rationes, de quibus vero hīc non est discurrendi locus.

Sunt & aliæ quam plurimæ tales astutæ medicamentis utendi rationes, qualis est illa, quâ quia metuimus, ne in concurlu duorum affectuum, V. G. intemperici ventriculi frigidæ, & hepatis calidæ per medicamenta pro utroque affectu intus exhibita alteruter exacerbetur, dum unum curamus per interna, alteri per externa opem ferimus, vel utrique mederi conamur solum externis.

Item illa, quâ, quia veremur, ne purgans medicamentum tenellum lactentis adhuc infantuli corpusculum fortè offenseret, si ei purgatione opus est, purgans non infanti, sed nutrici porrigitur. Vti & ea, quâ dum adest quidem indicans

alicujus medicamenti, verūm ei obſiſtit aliquid propterea priūs ē medio tollendum, ab eo tam dui ſuperſedemus, donec ille affectus, qui obſtat curationi alterius, ſit ē medio ſublatus. Quemadmodum talis proceſſus exemplum nobis ſuppeditat Hip. I. aph. 22. dum concocata medicari jubet, non crud*i*. Item 2. aph. 9. dum cum qui purgare vult, corpus priūs fluxile facere jubet. Vbi quia prævidet materiam adhuc crudam existentem medicamento citra magnam vim, adeoque corpori inferendam noxam non ceſſaram, idem eſt, ſi in via quid ei obſter, E. g. nimia fæcum induratio & ſiccitas, qualis tuit in rusticō illo, de quo memorabilem historiam nostram videre licet in Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. aīi 8. obſ. 72. poſt ſylvestrium pyrorum eſum, copioſe obſtructions, aut quid ſimile, et ſi adſit purgantis medicamenti indicans, tamen illud tam diu non eſſe exhibendum cenſet, donec priūs ſit ſublatum impedimentum illud. Et ſic de alijs. Ex qui-

qnibus omnibus tandem dilucidè satis  
apparet , etiam per certum , & astutum  
remediorum usum plurimis in complicato-  
rum curationibus occurrere solitis diffi-  
cultatibus percommode illudi posse ,  
ad eoque etiam astutum remediorum u-  
sum esse unum ex præcipuis complicatos  
affectiones ritè curandi medijs.

Rem igitur universam , ut pro coroni-  
de breviter recapitulemus , dico , quòd  
eum qui complicatos affectiones dextè cu-  
rare exoptat , omnium primò bene per-  
ispicere expediat , num tales affectiones ve-  
rè complicati sint , nec non ? Quod si  
non , tunc res plana est , & licet ei curare  
priùs quemcunque lubet , & vel seorsim  
quemlibet , vel simul , prout ei commo-  
diùs videtur ; quòd si verò complicati  
sint , quod ex indicantium contrarietate  
desumitur , tunc videndum ei est , an af-  
fectiones illi æqualiter urgeant , vel unus al-  
tero magis urgeat , vel magis quidem non  
urget , talis tamen est , quo non priùs  
sublato nequeat curari alter ? Hoc co-  
gni-

gnito, si affectus sunt inæqualiter urgen-  
tes, aut unus eorum talis, quo non pri-  
ùs sublato nequeat percurari alter, tunc  
ad eum primariò universam curam dirige-  
re debet, qui urgenter videtur, aut sal-  
tem alterius affectus curationi tanto im-  
pedimento est, ut eo priùs non sublato,  
nequeat auferri alter, altero interea, id  
est minùs urgente, si aliter fieri nequeat,  
vel omnino neglecto, vel certè ( si tamen  
etiam pro eo aliquid facere licet, que-  
madmodum id suadet Galenus ) secunda-  
riò solum respecto. Quod si verò affe-  
ctus illi æqualiter urgentes sint, tunc  
utrumque quidem æqualiter respicere ex-  
pedit, ne per id verò ab usurpatis contra-  
rijs remedijs alteruter affectus exacerbe-  
tur, videndum est, ut id artificiosè evi-  
tetur, vel per ingeniosam remediorum  
electionem, vel per astutum quemdam  
eorundem remediorum usum. Quo non  
dubito fore, ut quantum ad nos, quæcun-  
que non minùs complicatorum, quam  
non complicatorum affectuum curatio-

nes nobis succedant quam optatissimè.  
Viderint interea tamen Ponacæistæ illi  
Paracelsici, de quibus plura etiam Wa-  
læus in Meth. Med. qui totam suam scien-  
tiam Medicam læpe in unico solo, vel al-  
tero medicamento panacea ab illis dicto  
ponunt, quānā ratione tam varijs, &  
oppositis indicationibus unico tali medi-  
camine satisfacent. Idem dico de alijs  
quamplurimis Medicastris purè Empiricis.  
Non satis est etenim ad Medicinam ritè  
exercendam, quòd quis unum aut alte-  
rum medicamentum purgans, corrobor-  
ans, alterans, urinam sudoremque mo-  
vens, præscribere noverit, sed magnâ in  
eorum usu electione, quod non nisi diu-  
turno, & eo assiduo labore: volo dice-  
re, diurnâ, nocturnâque librorum le-  
ctione, & quotidianâ in praxi Medicâ  
exercitatione vix conlequi licet, opus est.

Sed dicet quispiam stante istâ doctrinâ  
plurimas tum veterum, tum moderno-  
rum formulas seu compositiones à tot  
jam lœculis à Practicis receptas fore, ut in  
utiles,

utiles, & ineptas rei sciendas, eò quòd eorum quamplurimæ sint ex contrarijs in vicem permistis compositæ, qui tamen practicandi modus superiùs capite 6. fuit reiectus. Antecedens constat inductione: sic syrups de mentha major Metux refrigerato & debili stomacho dicatus pro ingredientibus habet succum granatorum acidorum, & cydoniorum refrigerantes, & mentham galliam moshcatain, & vīnum antiquum calida. Syrupus de endivia compositus inter tot refrigerantia recipit etiam melissam 2. gradu calidam, borroginem, eupatorium, & buglossam. Syrupus de nymphæa compositus inter cætera refrigerantia etiam radicem fæniculi 3. gradu & spicam 2. gradu calidam, & sic de alijs quām plurimis, uti de theriaca solis ferè calidis constante, & tamen opium frigidissimum unà recipiente. 2dò ad quid ergo erunt tot ex diversis conflatæ compositiones, si non ad affectus diversos? Imò taliter neque Galenus rectè facit, dum 10. ad Glauc. in compli-

cata dispositione ex bile & pituita ptisanam cum pipere propinat. Ac tandem tertio si per temperata institutæ curationes sint invalidæ, sequitur temperata frustra esse à DEO creata. Verum Respondeo 1. non omnia medicamenta, quæ ex diversis sunt composita à nobis fuisse reiecta, neque in omni casu. 2dò scendum est sæpe in compositione medicamentorum addi aliquod cæteris ingredientibus contrarium, ut ea forte nimis intenta attemperet. Sæpe quoque pro tertio non quia contrarium est, sed quia alia qualitate cæteris ingredientibus specialiter correspondente & à Medico intentâ præpollet. 4tò ut reliqua ad aliquam partem, quam à proprietate respicit, deducat. Hinc syrupo de mentha additur succus cydoniorum, & granatorum acidorum, non quia frigidi sunt, & mentha, galliæ malchatæ, vinoꝝ antiquo contrarij, sed quia vi suâ astringente, & ventriculum roborante à Medico in ista, compositione primariò intenta mentha,

gal-

galliæ moschatæ & vino antiquo corre-  
spondent. Pariter syrupo de endivia com-  
posito melissam & cætera vix modicè ca-  
lida scilicet borraginem, buglossam & eu-  
patorium, ut vel cæterorum refrigeran-  
tium frigiditatem non nihil refringant,  
vel ut eorum vim refrigerantem ad eas  
partes, quibus à proprietate sunt dicatae,  
secum deducant, addi probabile est, me-  
lissam videlicet, ut deducat primariò ad  
cor, & uterum, borraginem, & buglos-  
sam, ut deducat ad cor & lienem, eupa-  
torium, ut deducat ad hepar. Syrupo tan-  
dem de nymphæa composito quoad cæ-  
tera ingredientia refrigeranti, & hume-  
stanti addi radicem fæniculi, & spicam  
calida, ad refrigerantibus illis majorem  
penetrandi vim contribuendam, & ad  
impediendum, ne illa suâ frigiditate se lo-  
la usurpata fortè obstrunctiones inducant  
in visceribus. Idem esto iudicium & de  
alijs similibus compositionibus à multo  
jam tempore consuetis, quamvis sæpe  
teste hinc & inde in suis animadversioni-  
bus

bus in Phormacopæiam Augustanam Zwelfero, defectuosis. Planè hujus nostræ opinionis videtur esse Joannes Caius Britannus de Meth. Med. ex Gal. & Montani sententia lib. 2. dum docet omnibus medicamentis pro alteranda quapiam parte usurpandis semper aliquid talis partis naturali tempore correspondens addi debere, & proinde dum cor venit refrigerandum, reliquis refrigerantibus calidum aliquid convenienter addi, eò quod cordis naturale temperamentum alias sit calidum, dum cerebrum econtra calefaciendum, aliud frigidum, quia cerebrum naturâ suâ est frigidum: ita, inquit ille, & medicamen efficacius felicitusque vires suas proferet, & à membro, quam si multo prorsus secundo adjecto adnoveretur, facilius admittetur.

Quod verò Opium theriacam ingrediens attinet, si cum Joanne Schrödero in sua Phormacopæia cap. de opio, Genuero Rofinc. in Meth. Med. Comment. lib. 12. Cap. 3. Ettmüllerò de febr. ma-

lign. & alijs recentioribus dixerimus id esse  
calidum, objectioni jam plenissimè tatis-  
feci. Suspicor tamen illud etiam ex alia  
intentione cæteris calidis addi, & fortè,  
ut deleteriam venenorum ( quorum op-  
pugnandorum causâ potissimum exco-  
gitata est hæc compositio ) acrimoniam,  
quam eorum pleraque præ se ferre solent,  
non nihil obtundat, & sensus ipsos, quòd  
minùs ab ea lœdantur, aliqualiter conso-  
piat, vel etiam, ut cum cæteris venenum  
ipsum per sudores ( quam vim quoque  
ipsi moderni tribuunt ) è corpore tanto  
dexterius eliminet. Joannes Montanus  
in examine Aureæ Alexandrinæ in ea est  
sententia, quod opium ex eo addatur  
theriacæ, & similibus compositionibus,  
ut somnum conciliet, aut saltem vigilias  
facile ex similium calidissimorum usu in-  
ducibles, quemadmodum contigisse id  
memorat quondam Antonino Impera-  
tori theriacam sine opio usurpanti, mo-  
derandas. Galenus denique ratione usus  
ptisanæ cum pipere potius laudandus ve-  
nit,

nit, quam culpandus, cò quòd talia, & taliter simul commiscuerit, quibus duobus contrarijs intentionibus tatisfecit, absque eo, quòd alterutrum offenderit, uti id jam aliàs dictum fuit. Neque magis temperata sequitur frustra fuisse à DЕо creata, cò quòd si alium usum in Medicina non haberent, habent istum, quòd conservando naturali partium tono, qui in temperamento quodam consistit, inserviant.

Atque ista tandem sunt, quæ de complicatorum curatione rectè instituenda, in genere breviter dici poterant, exactius, uti spero, in altera hujus tractatūs parte ex exemplis, seu particularibus casibus medicis à Benevolo Lectore capienda.

**Non nobis Domine, non nobis;**  
**sed Nomini tuo da gloriam.**

Palm. 113.



MARCI GER-  
BEZIJ PHILOS. ET  
Medic. Doctoris  
INTRICATI EX-  
TRICATI MEDICI  
P A R S I I.

*De Morbos Complicatos  
curandi ratione in particulari.*

C A P U T I .

*De Hydrope cum feribus Complicato.*

**T**Anti fecit, procul dubio ab Hippocrate , qui ex hoc fine conscripsit libros Epidemiorum, edoctus Galenus noster exercitationem in particularibus , ut eam pluribus in locis suis sequacibus , utpote talem sine

sine qua universalis doctrina frustranca  
 quasi sit, iteratò commendare non du-  
 bitaverit. Sic lib. 9 Meth. *Artis Medicæ*  
*studiosi illamque addiscentes in particulari-  
 bus exemplis exercitari convenit.* lib. 8.  
 Meth. *Artis cuiuslibet finem, qui consequi  
 parat, duobus his veluti cruribus, vel in-  
 strumentis uti debebit: Methodo in univer-  
 salibus, in particularibus exercitatione.*  
 Ac tandem lib. 9. de placit. Hip. & Platon.  
*Artificem bonum efficere non potest univer-  
 salis Methodus, sine exercitatione multa in  
 singularibus.* Apud Valleriolam lib. 1.  
 de loc. Commun. Cap. 7. ut proinde ma-  
 ximè congruum futurum sit, si proposi-  
 ta hactenus in genere nostra de compli-  
 catorum affectuum rectè instituenda cu-  
 ratione doctrina nunc in particularibus  
 casibus medicis veluti exemplis deduca-  
 tur, ut sic nimirum si ea fortè verbis pro-  
 cuiuslibet captu satis dilucidè ibidem ex-  
 pressa non fuit, hîc in exemplis tantò cla-  
 rior evadat.

Occurrit verò omnium primò hydrops ut cum febribus complicatus. Hujus communiter tres species enumerantur : Leucophlegmatia nempe, seu analarca, Alcites, & Tympanites. In analarca universum corpus ab humore pituitolo intumescit. In ascite verò & tympanite solum quidem abdomen ( cæterarum enim partium inferiorum, quæ plerumque quoque unà intumescunt, tumor hic non consideratur ) intumescit, à diversa tamen causa, ibi scilicet à terosis & aquosis humoribus, hic verò à flatibus, quamvis utrinque aliquid de una, & de altera causa subsit, à potiori tamen sit denominatio.

Singulas has hydropis species cum febribus nunc intermittentibus præsertim quartanâ, nunc cum continvis concurrere contingit, & semper quidem cum complicatione, eò quod febris morbus calidus sit, hydrops econtrà morbus frigidus, unde etiam semper remedia contraxia ab ijs indicantur, à febre scilicet ratio-

ne caloris præternaturalis refrigerantia, ab hydrope verò in analarca ratione humoris pituitosi in ea peccantis, in aſcite ratione humoris aquosi, ac tandem in tympanite tum ratione flatuum, qui calidis diſcuti volunt, tum ratione eorum cauſæ materialis, quæ teste Franciſco Sylvio dele Boë ſemper eſt humor frigidus, & pituitofus, calefacentia; ut purgantia præ cæteris quoq; in hydrope necessaria, quæ teste Gal. quoque calida ſunt, taccam. Vnde propterea oritur quæſtio, quidnam igitur agendum Medico, ut iſtis tam contrarijs indicationibus tamen ſatisfaciat, absque eo, quod in uno aut altero impingat?

Insistendo proinde fundamentis in priore hujus tractatūs parte datis, dico eſte omnium primò inter febres distinctionem faciendam, num nimirum eæ intermittentēs ſint, num continuæ: atque si continuæ, num acutæ, vel non acutæ. Et quidem ſi intermittentēs intelligantur, dico cum eis non tantam eſte

difficultatem, eò, quòd ipsæ talis naturæ sint, ut ablata suâ causâ etiam ipsæ citra ulteriorem opem emanent, cuncta autem alijs remedijs non indiget, quàm deobstruentibus, & evacuantibus, quæ verò hydropi contraria non sunt, conquepter citra nocumentum in usum duci possunt. Idem puta de hydrope respectu febris, qui quoque pro sui curatione alijs ferè non indiget, quàm ipsis dictis deobstruentibus & evacuantibus. Quemadmodum istud colligere licet ex Martino Rulando Cent. 2. Curat. 61. ubi Alcitem cum quartanâ unis ijsdemque remedijs feliciter percuravit, sicut & nos ipsi primò elapsâ hyeme Lanionis uxorem ipsâ dictâ febre quartanâ tamdiu detentam, donec ei tandem etiam alcites supervenerit, ijsdem remedijs feliciter resanavimus. Bibebat nimirum de tali vi-  
no per aliquod tempus quotidie mane:

R. Rad. asparag. gramin. fenic.  
filic. maj. polypod. querc. aa. unc.  
ß. herb. cuscut. agrimon. scolopendr.  
cha-

chamædr. soldan. aa. Mj summit.  
cent. min. mß comar. absynth.  
card. ben. aa. pij flor. 4. cord.  
genist. aa. pj cort. tamarisc. fra-  
xin. aa. drach. iſſ fol. sen. f. ft.  
unc. iſſ mechœac alb drach. vi belleb.  
rigr. pp. drach. i. jal. tart. drach. iſſ  
cinam. acut. drach. ss. macis. scrup.  
j. sem. anis. fœnic. aa. drach. j. M.  
Concilia dentur pro sacculo in 5. lex-  
tarijs vini albi infundendo, quo ab-  
sumptuſ ſuper affundantur alij totidē  
ſextarij, & continuetur potus.

Semper etiam vespere diebus taltem à pa-  
raxyimo vacuis assumebat de Spir. sal. ar-  
mon. tind. tartar. & effent. absynth. in vi-  
cem permixtis gut. i 5, vel etiam 20. &  
plures, à quibus tervatā præterea bonā vi-  
etūs regulā, & febris & hydrops mitior  
videbatur. Tandem fuit adhuc bis per in-  
tervalla cum ſimilibus pillulis expurgata:

R. Mass. pil. tartar. Schræd. drach.  
ſſ extr. belleb. nigr. magist. jalap.  
pin. ſub. aa. gr. iiiij M. cum tind.  
tartar. f. pil. non ix. K 5 In-

Intermedijs verò diebus usq; est omni manè præfatâ mixturâ ex Spir. sal. armon. tinct. tartar. & effent. absynth. In potu, quod vinum album, & tenue erat, habebat infusum absynth. & card. bened. atque sensim convalvit tam à febre, quam ab hydrope, quam felicissimè. Unde quidem clare apparet, ut iteratò dicam, hydropi cum febribus intermittentibus concurrenti tantam difficultatem non inesse, consequenter si quæ est, ea potius in continvis erit, utpote, quæ citra refrigerantium, & humectantium usum curari vix posse videntur, quam in intermittentibus.

Quid igitur, si febris hydropi juncta continua sit, adeoque pro sui curatione remedia hydropis curationi contraria humectantia neimpe, & refrigerantia indicans? R. rursus secundùm data nostra fundamenta esse ulterius dispiciendum, num illa febris acuta sit, num non acuta? 2dò qualiter se ratione periculi, seu urgentiæ respectu hydropis habeat, num nimi-

nimirum ut æqualiter, urgens, vel magis,  
minùs urgens? atque his demum præ-  
cognitis primò esse de curatione determi-  
nandum, num ea nimirum hydropi po-  
tiùs, vel febri primariò debeatur, aut  
utrique æqualiter. Et quidem si febrim  
acutam supponere velimus; dico curatio-  
nem primariò neque ad utrumqne, ne-  
que ad hydropem potiùs, quam ad fe-  
brim esse dirigendam, sed potiùs ad fe-  
brim præ hydrope, eò quòd sive tales fe-  
bres secundum suam naturam consideres re-  
spectu hydropis, sive secundum partem,  
quam primariò afficiunt, sive facultatem,  
quam primariò lèdunt, quoad singula  
tas magis urgere depræhendes, quam  
hydropis quamcunque speciem; & quo-  
ad naturam quidem propterea, quòd ta-  
lium febrium natura sit, ut citò & cum  
vehementia properent ad suum finem,  
propter quam causam eis Hip. 2. aph. 23.  
pro termino diem 14. posuit, & 2. aph.  
19. etiam incertæ esse prædictionis ratio-  
ne salutis & mortis edixit, cum tamen  
hydro-

hydropis natura sit lentè potius, & citra violentiam affligere, & non nisi tardè finiri. Quoad partem affectam verò, quòd in febribus sit cor, pars quācunque in hydrope primariò affici solitâ parte præstantior. Ac denique quoad læsam facultatem, quòd in febribus sit vitalis, quæ rursum eminentior est naturali, quæ in hydrope primariò læditur. Quia, inquam, quoad omnia tales febres urgentiores sunt hydrope quoquinque, evidenter sequitur ex nostris fundamentis curam primariò ad eos potius, quam ad hydrope esse dirigendam, adeoque usurpanda refrigerantia, etsi hydropi contraria, & noxia. Quamvis tamen, si & pro hydrope unà aliquid facere liceat, optimum sit, ut id quoque saltem secundariò fiat: ne nimirum, dum in febre dicta oppugnanda sumus occupati, hyrops interea omnino neglectus nimium quantum increscat. Verum, licetne quid tale etiam pro hydrope facere? Dico quòd ita: diximus siquidem in doctrina univer-

sali, dari talia medicamenta, quæ præter refrigerandi, etiam aperiendi, deobstruendi, & urinam pellendi aliquali virtute pollent, quòd si igitur ad curandam febrim similia præ alijs eligentur, procul dubio tali modo satisfiet refrigerantia indicanti febri, & tamen hydropi per id nulla noxa inferetur, quin potius etiam ipsi unà coniuletur. Sunt verò talia cicchoreum, agrimania, capil. ven. rad. gramin. asparagi & similia. Ex quibus proinde poterunt confici vel jura, vel syrapi cum Spiritu vitriol. vel salis ad gratiam acidulati, admistis etiam, si lubet oculis cancr. quoque diureticis, & febri convenientibus. Quò revocare licet etiam apozema illud Fernel. in Meth. Med. l. 5. c. 5. descriptum.

R. rad. cicchor. oxalidis, gramin. asparag. aa. unc ss herb. endiu. scariol. agrimon. polytrich. Collitrichi, adiant. albi aa. Mj. sem. cucurbit. cucum. melon. & citrul. aa. dr. ij. coquantur ex aquæ lib. ij.

ad dimidiās, colato & expresso juri  
 adde sacch. alb. unc iij f. apozema.  
 Clarificetur, & aromatizetur dr.  
 ij santali citrini, & detur ad usum.  
 Quò facit etiam acidularum potus, ut  
 pote quibus etiam vis inest non solum  
 obstrunctiones efficaciter referandi, & vi-  
 scerum excedentem caliditatem tempe-  
 randi, verùm etiam aquosos humores  
 per urinam & aluum educendi. Quem  
 quidem in finem inter cæteras conve-  
 nire possunt Spadanæ à Lazaro Riverio,  
 aut Roitschenes à D. Joanne Baptista  
 Wagnero Medico Græcensi in Roitscho-  
 crene Joannis Benedicti Gründellij sic  
 commendatæ: *in Cachexia*, & principio  
*Ascitis ex reliquijs febrium causatis* ( pro-  
 cul dubio etiam ipsis febribus adhuc præ-  
 sentibus) aut per se ex bile, humoribus  
*adustis*, & obstrunctionibus ortis, plurimo-  
 rum recordor exemplorum, ubi ex metho-  
 do plurima fuerunt in cassūm exhibita: ul-  
 timatim acidulæ Roitschenes per plures se-  
 ptimanas medicinaliter potæ palmam repor-  
 tarunt,

tārunt, & patientes totaliter restituerunt. Hoc tamen circa acidulas hīc notandum velim, eas in tali casu non esse bibendas in quantitate ordinaria duarum vel plurimum mensurarum, eò quod taliter nimiam fortè purgationem efficerent, in acutis febribus aliás ob vires, quas nimium depauperat, vel diarrhæam, quæ ex facili concitaretur, suspectam. Vnde partior dosis tutior erit, quæ nimirum non tam aluum moveat, quam sitim extinguat, & febrilen, æstum (cujus solius hīc primariò rationem esse habendam, dictum est) temperet: Quò per urinam tamen efficacius operentur, liceret eis aliquid succi limonum, vel etiam Spir. fal. aut vitriol. aliás febribus convenientium adiucere. In Causo & tertiana continua manè solum quandoque unum cyatum præbui. Idem Wagnerus. Propulsatā taliter febre, si ad attemperandum adhuc fortè residuum aliquem viscerum præternaturalem æstum, acidulas continuare luberet, liceret id facere in quantitate eti-

am maiore, cò quòd tunc non amplius febris respectus superesset habendus, sed solius hydropis, cui, modò permittant vires, etiam largior expurgatio competit.

Et hæc de febribus continuis aentis cum hydrope concurrentibus Quid vero si febres illæ lentæ sint, aut hectica, quales communius hydropi esse conjunctas scimus? R. tales febres in concurso cum hydrope non primariò esse respiciendas, sicut de acutis dictum fuit, sed taliter secundariò, in tantum nimirum, ut tam calidis ob earum respectum non utamur, quam uteremur si eæ abessent: & ratio est, quod tales febriculæ neque magis urgeant, quam hydrops, neque refri gerantibus ritè percurrentur. Primum patet ex eo, quòd tales febriculæ nulla urgentiora symptomata sibi conjuncta habeant, quam ea sunt, quæ hydropem communiter comitantur, neque hominem citius, quam hydrops necare solent, imò hydropem usque ad mortem comitan-

tantur. Secundum probatur auctoritate Joannis Jacobi de Maphæis, qui in Epist. 3. responsoria ad D. Schönfelderum Monachij hac de re data expressè afferit, *Tales febriculas symptomaticas frigidis non tolli, sed deobstrucentibus, & urinam moventibus.* Sentit namque & ipse tales febres non tam à languine in venis effervescente quam (ut verbis Pauli de Sorbaith cap. de hydrope in responsione ad objectionem 7. loquar) potius à putredine, & stagnatione humorum in abdomen contentorum, ibidemque diutius, quam par est, morantium, & quod insitus viscerum calor minus ventilari queat, obstruendo impedientium, procedere: qui procul dubio antequam refrigerantibus corrigerentur, & contractâ quasi lixiviosâ naturâ exverentur, in quantitate interim summè accrescerent, & viscerum altunde in tali casu graviter laborantium reliquum nativum calorem omnino suffocarent. Vnde quidem colligitur præstare in talibus casibus curam primariò ad hydro-

pem, utpote magis urgentem, imò tam  
lem, quo non priùs percurato, neque  
tales febriculæ curantur, dirigere, & ob-  
structionibus reserandis, humoribus per-  
aluum urinamūe educendis, visceribūs-  
que confortandis insistere, quibus factis,  
unà & dictas febriculas evanescere necel-  
sè crit. Aut si cæ adhuc perseverarent,  
qualiter contingit hecticis, liceret postea  
& ipsas aptis ad id remedijs conari expu-  
gnare, quemadmodum id nos aliquando  
in Religiolo Soc. JESV fecimus, uti po-  
stea videbitur.

Tali methodo fuit feliciter percurata  
aliquando à me affinis mea Domina Wo-  
belchin Matrona piissima ex non ritè scr-  
vata præcipue tempore puerperij viven-  
di regula facta ascitica cum febre lenta  
continua, difficiili anhelitu, siti, mensi-  
um emansione, urinæ primùm imminu-  
tione, ultimatim verò terè omnimoda  
obstructione, alijsque accidentibus hy-  
stericis.

Omissis nimirum refrigerantibus, quæ febribus aliàs debentur, unicum illud intendebam, ut kydropi tanquam urgentiori reimedia accomodarem, obstructiones scilicet referarem, & peccantes humores serolo-pituitosos è corpore educessem, id quod quidem feliciter me præstiturum sperabam sequentibus remedijs & pro humorum expurgatione

R. rob. ebul. drach. i magist. jalapa  
pin. sub. gr. xiv Spir. sal. coag.  
Myns. gr. vi extr. castor. gr. i ol.  
mac. ḡt̄ M. cum sacch. f. bolus  
pro una vice sumendus.

Cum quo etiam copiosè fuit expurgatæ.  
Hinc per quatriduum conabar obstruções referare, & remoratæ urinæ pristinum liberum fluxum reducere lequentibus pulvisculis:

R. pulu. deopil. rub. dra. ss sal. ab-  
synth. genist. stipit. fab. ocul.  
cancr. Spir. sal. coag. Myns. aa.  
gr. xv M. f. pulu. dividatur in 4.  
partes æq. quatuor matutinis con-

Sequenter ex jurecic. rub. cum rad.  
petrosel. alterato sumendas.

Quo tempore jubebam etiam insimum  
ventrem cum talium specierum decocto  
calidè soveri :

R. herb. malu. pariet. puleg. sum-  
mit. chammom. melil aa. Mj rad.  
bryon. unc. iss baccar. laur. junip.  
aa. m. i sem. fenic. unc. i M. con-  
cisa & contusa coquantur in aqua  
pro fomento.

Peracta fomentatione insuper fiat perun-  
ctio cum ol scorpion. & acinorum ebuli  
invicem permistis. Ex quorum uolu-  
na etiam copiosior prodivit. Quod ab-  
dominis tumor nihilo tamen adhuc mi-  
nor videretur , pro ulteriore illius oppu-  
gnatione jubebam memoratum bolum  
hydragogum rursus iterare , ac pro viri-  
bus insuper corroborandis quandoque  
de tali electuario castaneæ magnitudine  
accipere :

R. conseru. menth. melis. aa. unci. ss  
ab/lynth. drach. ij rob. cynosb. unc. ss  
spec.

*Spec. diarrh. Abb. dr. j. conf. alch.  
incompl. scrup. ij ocul. Cancr. pp.  
scr. j diamarg. frig. dr. ss effent.  
lalu gt. ij M. cum lyr. flor. tunic.  
f. elect.*

Quando verò hysterica accidentia urge-  
rent, è quibus præ cæteris molestior erat  
pectoris quæpiam compressio, & uteri in  
abdomine globi instar per intervalla re-  
currens dolorifica convolutio, biberet  
cochleatim de aqua hysteriaca:

R. aq. menth. meliss. aa. unc. iss  
bister. unc. ss cinam. dr. ii tinct.  
castor. gt. viij Spir. lal. armon. gut.  
xiij magist unguil. alc. matr. perl. aa.  
gr. xv ol succin. effent. salviæ aa.  
gt. j M. detur cochleatim, uti su-  
præ dictum.

Vteri regionem tunc etiam inungeret  
cum oleo millefolij sibi alijs in tali casu læ-  
pius experto remedio.

Sed quam mira naturæ vis! dum Ego  
sic me necio quantum laborem in expu-  
gnando hoc tanto, tantisque accidenti-

bus stipato malo habiturum metuerem, accidit, ut ad solūm unicā vice iteratum præfatum bolum hydragogum alius & vesica adeò copiosè fuerint soluta, ut in primo intuitu mihi potius de infausto eventu metuerim, quām quid aliud, deterritus Avicennæ illo: *Constrictio anhe-*  
*litus, & solutio ventris, in tribus diebus*  
*mortem significat.* Item Hip. illo I. aph.  
 3 sic & evacuationes, quæ ad extremum tendunt, periculose. Profuebant verò totâ illâ die, quâ dictum bolum assumplerat, & sublequente nocte ferositatem per anteriora, tum per posteriora adeo copiosæ, ut frequentia excretionum quasi unica ledes videretur, verum microcosmi diluvium! tensim & tensim rariores quidem excretiones illæ factæ, adeò tamen institere, ut usque in tertiam à curationis principio septimanam citra alterius purgantis aut deobstruentis assumptionem universum ferè malum felicissimè exhausterint. *Hydrope nimirum deten-*  
*do, si aqua è venis in ventrem, id est in in-*  
*testi-*

testina, *confluxerit*, *solutio morbi fit* Hip.  
6. aph. 14.

Materia verò excreta non erat eadem, sed nunc tenuis & aquosa simùlque turbida, nunc crassa & pituitosa, nunc lym-pida terè instar aquæ fontis ad sensum fri-gida, nunc atra, viridis, flauáve.

Præterlapsis sic tribus septimanis, remisso interea ut plurimum abdominis & crurum tumore tandem excretiones alui-næ non solum rariores effectæ sunt, verum etiam ipsa excrementa concoctiora: econtrà eorum loco sudor totum corpus adeò copiè inundare cœpit, ut vix efficacissimo diaphoretico ampliorem concitares; Et duravit hic rursus ferè ci-tra remissionem absque ullius alterius præter electuarij corroborantis assumptionem usque in diem decimum quartum cum maximo dominæ patientis levamine, imò totali reconvalecentiâ. Quis amabò artifex dogmaticè magis processisset? me hercule naturam impostorum nemo, licet rectè facere non didicerit,

nisi Idiota, *ineruditam*, & *improvidam*  
*contra Hip.* vocabit; hæc siquidem uti  
lib. i. de loc. com. c. 5, inquit Valleriola,  
& prætens noster docet *catus*, *adversus*  
*morbificam causam impetu valido insur-*  
*gens*, & *decretoria*, *excretionesque vehe-*  
*mentes molitur*, & *concoctione*, *discretione*,  
*tandemque vacuatione à lethalibus morbis*  
*egrum sæpe liberat.*

Toto hoc tempore Ego terè tantum  
spectatorem egi edoctus à Gal. i. aph.  
Comment. 20. *Naturæ tum totum per-*  
*mittendum*, *cum integrè judicat*: *ubi verò*  
*non integrè judicat*, *id quod deficit*, *supple-*  
*re nos convenit*. Nec ægra assumpsit ali-  
ud, quam quandoque de supra scripto  
electuario corroborante, & pro hyster-  
ricis accidentibus, quæ tamen ab eva-  
cuato corpore eam admodum amplius  
non affligebant, urgente necessitate de-  
mista *teu aqua hysterica*. Atque sic  
( laus supremo Archiatro ) convaluit  
quam felicissimè, Curâ, uti expræscriptis  
videre est, non ad febrim, sed ad hydro-

pem

pem directâ, quamvis tamen per accidens eadem curatio etiam ipsi febri conduxit, obstructionibus scilicet à quibus dicta febris fovebatur, referatis, & peccantibus humoribus eductis.

Ne ex residuis fortè tamen quibusdam in corpore relictis vi Hippocratici illius 2. aph. 12. quæ in morbis post crifim relinquentur, recidivas facere consueverunt, recidiva contingere, consultum judicavi, ut ægra non solum in competente diæta adhuc ulterius perseveraret, verum etiam saltem bis in septimana de talibus pillulis aliquot acciperet:

R. tartar. vitriol. sal. genist. ocul. cancr. pp. aa. dr. ss. borac. ven. scr. i magist. jalap. gr. xvi M. f. pulvis, qui excipiatur tereb. cypr. suc. limon. lot. q. s. & f. pil. instar pisii minoris pulu. liquiritiae involvenda.

Quibus factum est, ut illa etiamnum jam in septimum annum sana degat, menstruis primò post anni spatium rursus revocatis:

L. §

quia

quin imò catenus se recollegit, ut ab eo tempore jam alterius prolis mater præter omnium expectationem evalerit.

Huic non absimili methodo fuit à me curatus quoq; Admod. Reverendus Pat. de Georgio Soc. JESU a scitico-hecticus, curâ scilicet non ad hepticam, sed ad ascitem tanquam magis urgentem primariò directâ: quamvis tamen saltem in tantum quoque hepticæ respectum habuerim, ut mancrem penes remedia temperatiora, qualia erant:

R. rad. ireos nostr. gram. asparag.  
aa. dr. ij rad. chin. unc. ss cort.  
med. sambuc. ebul. aa. dr. j fol.  
agrimon. eichor. toldanel. aa. Mj  
flor. genist. cent. min. aa.p. ij fol. sen.  
j. stip. unc. iss meadowe. alb. drach.  
vj sem. cartham. cont. unc. ss troch.  
de Eupat. dr. ijs lantal. citr. dr. ij  
sal. tart. dr. ij passul. min. mund.  
unc. j sem. fenic. dr. j cinam. drach.  
j M. concilia dentur ad chartam pro  
vini albi sextarijs 5. de qua infu-  
sione

sione bibat quotidie baustum unum  
præ assumpto juscule.

Quod ipsi quoque utçunque multum seri-  
cum bile tineti indies educere solebat.  
Quibus diebus verò, ut una etiam viribus  
consuleretur assumebat semper vesperi de-  
tali electuario corroborante.

R. conseru. ros. borrag. menth. aa  
unc. ss rob. cynosb. dr. vi spec.  
diarrh. Ab. diatr. santal. aa. dr. i  
conf. alcher. compl. man. xti perl.  
aa. scr. ij troch. de Eupat. 31. M.  
cum syr. flor. tunic. f. elect. castaneæ  
magnit. assumendum.

Ventrem etiam semper vesperi ungebat  
cum ung. de arthanit. Carmin. Myrs. ol.  
scorpion. & granorum ebul. invicem permisitis.

Pro difficulti respiratione cum utilitate  
subinde lambebat de oxymel. squil. cum  
modico aquæ asthmatis. diluto.

Pro siti bibebat quandoq; vinum enu-  
latum, seu cui radix enulae erat insula,  
alias verò, si vinum nimium ipsum ac-  
cenderet, aquam cum rad. gramin. lign.  
santal.

santal. lenti/c. & modico cinam. decoctam,  
& hanc in minima, quam poterat quan-  
titate.

Ablumpto præfato vino hydragogo  
quiçvimus per triduum nullo interea ac-  
cepto medicamento, excepto dicto ele-  
stuario corroborante. Hinc rursus pec-  
cantes in abdomine humores educere  
tali bolo aggressi sumus:

R. rob. ebul. dr. i magist. jalap.  
pin. subact. gr. xi Spir. sal. coag.  
Myrs. tartar. vitri. aa. gr. vi ol.  
mac. gut. i M. cum sacch. f. bolus.

Quo rursus ingens humoris feroci bile tin-  
eti cum notabili non solùm abdominalis  
mollitię, verùm etiam imminutioне,  
quantitas educta fuit. Inde rursus quie-  
vimus unâ die, postea per quatriduum  
consequenter pro diuresi magis promo-  
venda assumpti fuère tales pulv̄sculi ex  
jure cicer. rubeorum cum petrosel. al-  
terato:

R. sal. junip. stipit. fab. tartar. vitr.  
ocul. cancr. pp. aa dr. s M. f. pulu.  
dividendus in 4. p. æq. Qui-

Quibus elapsis rursus repetit memoratum bolum hydragogum, & rursus cum tanto levamine, ut tum crura, tum abdomen in totum detumverint. Pro meliori tamen recidivæ evitazione interpolitâ duarum dierum quiete, usurpato in terea saltem electuario supralcripto corroborante, dictos pulvulos diureticos adhuc per quatriduum repetit, & eo exacto iterum cum laudato bolo hydragogo purgavit, atque ita Convaluit ( laus DEo ) quoad abdominis tumorem in integrum, solâ adhuc residuâ dictâ illâ febriculâ hecticâ, à qua tamen se facile liberatum iri sperabat per usum lacticis asini ni cum pulu. Haly contra phtisin, à se jam aliquando in eadem febre Paslavij cum optato effectu foto.

Intermissis proinde alijs remedijs asina fuit quaesita, quod verò non reperiatur, ejus vices capra supplere debuit, sed primò post aliquot septimanás, & postquam neglectum nimis diu malum jam nimirum increverat.

Potabatur igitur lac caprinum omni manè immediate ab ubere adhuc calidum cum admisso dicto pulu. Haly & Anonymo per 4. integras septimanas, verùm non cum eo, quod Reverendus patiens expectabat, effectu: procul dubio, quòd malum jam nimium increverat, neque lac jam eo, Canicularium scilicet tempore, quo paucia præ ariditate sunt ferè exlucca & effæta, eam virtutem habebat, quam habere solet tempore vernali. Et proinde de salute ulterius recuperanda undique desperabatur. Ne desolatus taliter æger tamen omnino ut desperatus derelinqueretur, eum ulterius cum sequentibus quidem sustentare conatus fui :

R. conseru. flor. nymphæ. borrag. viol. aa. unc. ss conf. alch. compl. diamarg. frig. aa. scrup. ii pinear. mund dr. ij rasur ebor. scr. ij off. de cord. Ceru. scr. j. coral. rub. pp. scr. j cum syr. gemat f mistura molis castaneæ magnit. quotidie mane assumenda.

Cui

Cui etiam superbibatur ad uncij de tali  
aqua antihectica:

R. carn. testud. unc. iv pulmon.  
vitul. & cord. ejusdem aa. unc. iii  
bord. mund. unc. ij rad. consolid.  
maj. unc. iss herb. hepat. nobil. ve-  
ron. agrim. aa. p. i passul. damasc.  
glyzyr. rasæ aa. dr. vi sebest. jujub.  
aa. num. xij sem. melon. cucurb. ci-  
trul. aa. unc. ss lactuc. papau. alb.  
aa. dr. ii bulliant invicem in s. q.  
aq. in olla vitreata ad perfectam  
carnium decoctionem. cuius brodij  
lib. iv adde aq. borrag. buglos. ros.  
aa. lib. i spec. diamarg. frig. 3ij  
sacch. ros. unc. vi flor. cord. aa.  
pj M. & in B. M. per Alembicum  
vitreum distilla ad præfatum usum,  
jmo & alias interdiu.

Sub vesperum vero detur talis emulsio.

R. amygd. dulc. excort. par. iiij  
pistac. non rancid. dr. iij sem. 4. frig.  
maj aa. 3ss papau. alb. 3ss cum aq.  
bord. unc. iv f. l. a. emulsio, cui  
adde

*adde rotul. man. xti perl. dr. ij dia-  
marg. frig. scrup. ss M. & detur  
utui.*

Pectus & spina dorsi bis quotidie inur-  
gatur cum simili unguento:

*R. rugu. resumpt. unc. i refrig.  
Gal. ol. viol. aa. unc. ss M. f. linim.*

Diæta observabatur refrigerans, hume-  
ratis, & reficiens, quales erant pana-  
tel. hordeata, amygdalata, cohtula;  
ova lorbilia, testudines, pomæ & pyra-  
cacta, jura pullorum & capon. junio-  
rum cum endiu. alterata &c. Quibus  
semper cochleat ss aut etiam unum de  
gelatina caponis cum admistione spec. de  
gem. frig. & pulu. Anonym. parata inde-  
batur. Passulæ etiam non tantum in  
aq. ordinaria cum hordeo sem. anis. &  
rad. liquir. decoquebantur, verum eti-  
am pro comedione varie paratæ daban-  
tur. Quandoque etiam cedebat de tali  
pulte.

*R. caudar. cancer. fluviat. mund.  
q. u. bulliant cum affus. lact. vac.*

*q. 1.*

q. s. usque ad lactis ferè consumpti.  
hinc contundantur in mortar. la-  
pid. cum pistillo lign. postea rursum  
affuso novo lacte, additōque farinæ  
bord. & amyl. aa. pj. lactis amygd.  
dulc. unc. ii vitel. cvi rec. nō. i  
facch. alb. unc. iii coquantur ad pule-  
tis consistentiam.

His inquam omnibus cum maxima dili-  
gentia in usum ductis eum quidem ulte-  
rius sustentare conatus fui, impedire ta-  
men non mihi erat possibile, quin Adm.  
Reverendus patiens deficientibus ins-  
dies magis viribus totus excarnis sub-  
æqui noctium hyemale in Domino obje-  
rit, Cui proinde DEus sit propitius!

Eandem Methodum sibi quoque fa-  
visse expertus est ante aliquot annos La-  
nistा Labacensis Joannes Casparus Zira  
jam aliquot annis liene scyrrhosus, non  
pridē etiam ter per intervalla vomitum  
cruentum cum ingente sanguinis purissi-  
mi per superna rejectione passus, tunc  
verò inluper planè factus tympaniticus

cum febricula utcunque intensa continua, difficii respiratione, siti, levi tussicula, & doloribus punctorijs circa umbilici regionem. Hic siquidem ab alio Medico, & quidem expertissimo, atque vel propterea ad plures provincias suo tempore in Casibus arduis, & ab alijs pro incurabilibus habitis saepius vocato p. m. viro D. Jo. Baptista Gontero hujus inclitae provinciae tunc temporis Physico Rudolphsbertensi per aliquot decennia omnes humores respiciens per ostium fuit expurgatus, ei pro tunc ulteriore expurgationem non esse necessariam iudicabam, sed solum obstructionum resectionem, & flatum actu urgentium discussionem, non neglecta tamen omnino, eò, quod utcunque intensa esset, una concorrente febricula secundariò tamen solum respecta. Adeoque uti quidem determinaveram carminativis, sed non intense calidis, præcipue quod per talia rarefacto rursus sanguinem ex facilitate cruentæ vomitionis recidiva concitari potuisse.

Qua-

Quare omnium primò ei ordinati suēre  
tales pulveres carminativo-deobstructivi:

R. Spec. diamis. dr. ij diarrhbod. abb.  
diatr. Santal. troch. de rhab. de  
eupat. aa. dr. ss tart. vitr. lcr. ij  
spir. sal. coag. Myns. gr. xv. flaved.  
cort. citr. sic. scr. i eleosacch. citr.  
scr. i sacch. ros. tab. dr. iii M. f.  
p̄lu. dividatur in 7. partes æq.  
quarum omni mane detur una ex  
brodio.

Vespertino tempore pro corroborandis  
viribus capiebat castaneæ magnit. de tali  
elect. corroborante & deobstruente.

R. conseru. ros. borrag. menth. aa.  
dr. vj spec. diarrhb. abb. diatr. san-  
tal. aa. dr. i conf. alcher. compl.  
scr. ii diamarg. frig. dr. ss tart.  
vitr. scr. i spir. nitr. dulc. ros. aa.  
dr ss M. & cum s. q. lsr. de pomis  
f. mist. moltis prouisu praefato.

Quo ipso tempore quoque bis de die uni-  
versum abdomen tali ung. Carmin.  
ungebatur.

**R.** ung. carmin. Myns. de alth.  
comp. aa. unc. ij ol. lit. alb. laurin.  
aa. dr. ij ol. de later. dr. j M. f. ung.  
pro usu dato.

Alternis etiam diebus , vel si dolores  
pungitivi circa umbilicum & hypochon-  
dria urgebant , etiam singulis clysterem  
domesticum plerumque ex solo decocto sum-  
mitatum anethi , & chammom. cum additio-  
ne ol. chammam. & modici jal. pro stimulo  
confectum admittere solebat.

Hinc purgabatur tali hydragogo :

**R.** rob. ebul. drach. j magist. jalap.  
(facillimæ enim erat purgationis)  
gr. vij spir. jal. coag. Myns. tart.  
vitr. aa. gr. vij ol. cort. aurant.  
gt. ij M. f. elect. unda vice lumen-  
dum.

Sanctè dico hæc medicamenta sola tan-  
tum levaminis ei attulisse , ut ipse , qui de  
ulteriore sua reconvalescentia jam in to-  
tum desperaverat , se rursus reducendum  
non amplius dubitaverit : quotiescumque  
enim aliquem ex præscriptis pulvisculis  
afli-

assumeret , non solum ingentem flatu-  
um tam per superna , quam per interna co-  
piam excernere solebat , verum etiam  
paulo post corporis beneficium subsecu-  
tum . Quo non minorem opem sensit  
quoque ex clysteribus . Electuarium hy-  
dragogum pariter cum adeo copiosè , &  
toleranter expurgaverat , ut illius lat alias  
blandam operationem , & excremento-  
rum quantitatem admiratus fuerit .

Subsequente die rursus redivit ad di-  
ctos pulveres carminativos , & reliqua su-  
periùs recensita remedia , & inde rursus  
dicto electuario expurgatus fuit , cum  
valde sensibili abdominalis detumescientia  
& cæterorum symptomatum remissione :  
post quæ determinaveram quidem ei vi-  
num aliquod hydragogo-deobstructivum  
per aliquot dies propinare , ast ille rursus  
ad priores carminativos pulveres redire  
ipse rogabat , utpote quorum effectum  
jam alijs expertum haberet ; quos ei eti-  
am libenter admisi , & proinde rursus  
omnia præfata per aliquot dies conse-

quenter repetijt, & cum tanto quidem emolumento, ut de tumore abdominalis vix amplius vestigium appareret, persistente solo adhuc, & tunc primò sub sensum cadente splenis icyrrhoſo tumore, dum tangeretur (quod valde mirabar) à longè perceptibilem sub digitis crepitum edente: Cui tumorī proinde postmodum etiam ſpecialibus quibusdam fuit obviam itum. Ratione tympanitidis vero ei nihil aliud adhuc supereffe judicabam, quam ut per aliquot dics adhuc penes aptam diætam, de talibus pillulis quotidie ad 5. 6. aut 7. deglutiret:

R. tereb. cypr. ſuc. limon. lot. dr.  
iiij magif. jalap. pin. ſub. gr. xiii  
tart. vitr. ſpir. ſal. coag. aa. ſcr. j  
ocul. cancr. pp. dr. ſſ ſem. cymin.  
pulu. ſcr. j pulu. liquir. q. ſ. M. f.  
pil. instar pisi min. dentur ad ſchatalam pulu. liquir. involutæ.

Ex quorum uſu urinam emittebat ſolito copioſorem, & ſedes ſemper aliquot habuit. Atque ita (laus supremo Ar-  
chiatro

chiatro D'Eo.) tympaniticus hic desperatus ab alijs habitus feliciter reconvaluit, curâ uti ex præscriptis colligere est, non tam ad febrim, quâm hydropem directâ.

Huic contrario modo econtrâ, curâ scilicet non tam ad hydropem, quâm febrim directâ curatus fuit miles ille Cæla-reus (cujus curationem tanquam rario-rem Ego anno 1689. Academiæ Impe-riali. Leopoldinæ Nat. Cur. pluribus communicavi) jam pridem cachecticus, à paucò verò tempore factus etiam actua-liter asciticus cum valde elato abdominis, & crûrum tumore, cum superveniente demum etiam febre continuâ acutâ, ma-lignâ, aliâs tunc temporis passim in hac nostra urbe epidemicè graflante. In hoc à Medico ordinario respiciebatur pro tunc saltem febris, hydropis curatio verò interea differebatur. Quamvis fortuna ei admodum fayerit, ut eodem tempore, quo febris, etiam ipse hydrops aſcites sol-veretur. Dum nimirum in ſummo eſſet febris, atque æger totus extra ſe per plu-

res dies deliraret, factus est abscessus in  
scroto, & scroti à testiculis ( mediante  
gangrænâ ) separatio, febrisque unâ cum  
hydropo radicalis solutio, separationem  
illam nec ipso ægro priùs advertente,  
quam postquam ad eum redierat.

## C A P U T II.

*De febre cum malignitate complicata.*

**I**N illis febribus, quas ob insignem,  
quam preferunt malignitatem, &  
symptomata, quam à febre simpliciter  
putrida continua procedere communiter  
solent, longè graviora malignam dici-  
mus, quoque occurunt complicationes,  
ad hunc ipsum modum tractandæ. Sic  
alexipharmacæ, quorum quam plurima  
sunt calida, à malignitate indicantur,  
quæ verò, ut talia, à febre non admit-  
tuntur. Sic & venæ Sectionem febris  
exposcit, quam econtrà utpote malum  
ad interiora revocantem repudiat mali-  
gnitas. Sic denique præsens cacochymia  
purgantia indicat, quæ econtrà suspecta  
reddun-

redduntur non solum à facile inde concitabili insistibili diarrhæa, verum etiam à revocatione malignitatis ab exterioribus ad interiora.

Quid igitur agendum in tanta ambiguitate Medico? R. cum sicut in hactenus dictis casibus ex utriusque tum febris, tum malignitatis ad invicem factâ comparatione, quodnam ex illis magis vel minus urgeat, vel an utrumque æquilater urgeat juxta suo loco data fundamenta respicere debere, & exinde demum concludere, quod corum primariò, quod secundariò, aut an non utrumque æquiter sit respiciendum.

Atque si febris ei ex æstu majore, & pulsu frequentiore, concitatio reque malignitati prævalere videretur, oporteret eam præ malignitate respicere, adeoque uti refrigerantibus à febre indicatis, & putredini resistantibus, verum ne malignitas interea omnino neglectâ fortè periculosa nimis evaderet, talibus, quæ simul etiam ipsam corrigeret valida sunt,

qualia sunt, E. G. *ulmaria*, *acetosa*, *tormentilla*, *bistorta*, bol. *armen.* terr. *sigil.*  
*CC.* *coral.* os de *cord.* *Ceru.* *lap.* *prunel.* flor.  
*nitri* *Myns.* *mater perl.* *lap.* *bezoard.* *uni-*  
*cornu*, *spir.* *vitr.* *nitri & similia.* Vitare  
econtrà deberet calidiora, æstum febrile, sanguinis fluxibilitatem, effervescientiam,  
& volatilitatem augmentia etsi quoque alexipharmacæ: qualia sunt in specie *salia* vo-  
latil. quæcunque præcipue aromaticæ, Item  
*theriaca*, *Mithridat.* &c. Quorum magnam  
seriem in praxi sua de febr. Malign. addu-  
cit doctissimus Ettmullerus in tractanda  
cautè hâc febre, si quis alijs, circumspe-  
ctus, & propterea præ omnibus alijs in spe-  
cie quoad hanc materiâ lectu dignissimus.

Quod si verò malignitas febri prævale-  
re videretur, quod ex æstu corporis mi-  
nore & pulsu minùs concitato, cæteris  
symptomatibus econtrà præcipue insuetâ  
cordis anxietate, & virium jacturâ fero-  
cissimè tævientibus, non ita difficulter  
conicere est, quod plerumque quidem  
in

in morbi principio, & augmento putredine, adeoque febre nondum adeò in valescente contingit, tunc calidioribus, & valentioribus, volatilibusque securius, imò ut natura ad expellendam malignitatem tantò magis excitetur, necessariò utetur. Neque tamen hoc ipsum sine moderamine, ne fortè taliter neglecta omnino febris, nimium intendatur, & solutâ affatim sanguinis compage spiritus nimium, conlequenter & vires dissipentur.

Venæ Sectio utpote malignitatem ad intro revocans, & vires solùm minuens, communiter damnatur, solo quantum scio Minadoo Medico Italo, à quo apud Michaëlem praxis Clinicæ particularis casu 2, ea adeò commendatur, ut si quem in febre maligna hâc celebratâ interire contingat, mortem nulli adscribendam censeat, quâm non in sufficienti quantitate emisso tangui. Cùm quo etsi teneant quipiam adhuc alij, nemo tamen ita abolutè sicut ipse, sed alij eam solùm

volunt celebrari in febre maligna nullis  
 exanthematibus stipata, ijs verò prostan-  
 tibus nullo modo. Alii verò quidem nec  
 symptomata curant, sed eis etiam jam  
 actu prostantibus venam secari posse  
 censent, si febris sit pro primò maximè  
 intensa, 2dò morbus primò in principio  
 tertio vires sint adhuc constantes, &  
 tandem quartò si adsit plethora notabilis,  
 his verò absentibus eam tamen potius in-  
 termittendam existimant. Hujus sen-  
 tentiæ est in praxi sua Med. de febr. Ma-  
 lign. Paulus de Sorbaith Eleonoræ Im-  
 peratricis quondam personæ Medicus,  
 qui simul tamen jubet, ut, ne exanthe-  
 mata per hoc forte retrocedere contingat,  
 aut si jam contigit, ea mox rursum revo-  
 centur, quam primùm à venæ Sectione  
 aliquot potens sudoriferum in dupla dosi  
 propinetur. Expertissimus p. m. Senior  
 noster Medicus, & plūs quam per 50.  
 annos felicissimus practicus D. Franciscus  
 de Coppinis in quodam discursu hac de  
 re aliquando mecum habito dixit se præ-  
 ten-

sentibus exanthematibus nulli unquam  
venæ Sectionem suadere, quod si eam ta-  
men ob intensissimam febrim & maxi-  
mam plethoram celebrare deberet, ei  
mox cucurbitulas scarificatas externis  
partibus admotas subjungeret, ut sic ni-  
mirum recursum malignitatis ad interio-  
ra inhiberet.

Ego nullius experientiam damno, cum  
veritate tamen dico, me venæ Sectionem  
prostantibus jam exanthematibus toties  
infeliciter ab alijs fuisse ordinatam recor-  
dari, ut eam nulli, qui aliâs suæ famæ,  
& ægrorum saluti consulere cupit, facile  
suaderem, sed potius ejus vicarias exter-  
nas scarificationes cum affixis cucurbitu-  
lis: Vel certè si adsit ejus maxima ne-  
cessitas videlicet ardentissima febris, &  
maxima plethora, atque adeò majus vi-  
deatur posse ægro inferri periculum ex  
ea intermisâ, quam celebratâ, tunc de-  
bere ei mox subjungi vel fortissimum ali-  
quod, & ex volatilioribus consecutum su-  
dori-

doriferum cum Sorbaitio, vel cucurbitulas scarificatas cam Dño de Coppinis.

Quòd si verò malignitas prævaleat, & febris sit mitior, aut multùm jam progressa, judico præstare, ut venæ Sectione omnino intermittatur, & malignitati potius in tali casu magis urgenti expugnandæ opera impendatur, præcipue si plethora absit.

Prævalente verò quidem febre, imo & plethorâ ipsâ, sed viribus non tatis constantibus, adeoque venæ Sectioni sufferendæ imparibus, putarem sanguinem quidem absolutè posse mitti, quod nimirum plethoræ, & urgenti præ malignitate febri consulatur, sed non per venæ incisionem, verùm potius per cutis affixis cucurbitulis scarificationem, eò quòd taliter febri & plethoræ quodammodo satisficeret, & tamen malignitati, & exanthematibus nulla noxa inferretur, uti neque viribus, quin imo hoc modo malignitas potius ad extra traheretur.

In febribus malignis verò absque exan-

thema-

thematibus, venæ Sectio quidem securior videtur, malignitate tamen multum prævalente cencio eam & in illis melius intermitti; secus tamen, si febris, & plethora prævalerent.

Cacochymia plerumque pro minùs urgente reputatur, & proinde ejusdem expurgatio usque ad totalem & febris, & malignitatis debellationem differtur, nisi materia planè turget, aut cardialgiam nullis nec externis, nec internis cedentem inducat, ubi blanda vomitaria sunt convenientia vel planè in principio morbi etiam per aluum lenientia: præcipue si, uti inquit memoratus Paulus de Sorbaith de febr. hungarica & petechiali, prava & crassa præcesserit diæta, qualis est in castris; si æger aquæ vel cerevisiæ plurimum ingesserit, puncturas, vel gravitatem, cum nausea, vel vomitu in stomacho, sentiat, si fomes iste ob morbi augmentum, corporis intima nondum penetraverit. Fortia verò purgantia omnino in morbi finem differantur, Imò nec aciores clys stere-

steres sunt omnimodè tuti, præcipuè tem-  
pore expulsionis exanthematum; agita-  
ta enim materia acrior talino-sulphurea,  
& ad intestina dedueta facile diarrha am-  
sistibilem, & malignitatem aliàs ad ex-  
tra tendentem, ad interiora revellendo  
cum inevitabili ægri interitu inducit.  
Suadetur verò ex vomitorijs à Joanne Mi-  
chaële in specie *oxyfaccb. vomit. Angeli*  
*Salæ. utpote simul malignitati resistens.*  
Proleniente vniò posset servire talis potio:

R. decoct. tamarind. in aq. scorzon.  
fact. unc. ij syr. ros. sol. unc. ii flor.  
nitr. Myns scr. ss spir. rofar. gt. vi  
M. f. potio.

Aut R. agarici (cui quoque vis alexi-  
pharmaca tribuitur) dr. ii fol. sen.  
f. st. unc. ss infunde in aq. scorzon.  
unc. iv per noctem, mane in colat.  
dissolve mannae el. dr. x flor. nitr.  
scr. j aq. flor. citri parùm M. f.  
potio.

Quocunque verò modo se habeat febris,  
& malignitas, si eis adhuc aliquod gravi-

us accidens superveniret, qualis est angina, pleuritis, phrenitis aut quid simile, cum talia adhuc certius, & gravius, quam ipsa malignitas, minentur periculum, sanguinem pro revulsione mittere omnino esset necessarium, observatis saltem inmittendi sanguinis quantitate ægri visitibus, quod quia non erat factum in comite quodam de Witkenstein febre malignâ cum petechijs & pleuritide labore contigit, uti notat toties memoratus Paulus de Sorbaith, eum decimâ morbi die interisse, cum tamen id forte ei celebratâ in tempore venæ sectione non accidisset. Ast desuper juxta ante dicta externis partibus cucurbitulas affigere, & ad intro efficacia sudorifera in dupla dosi porrigere, convenitet.

Ad istum modum curavi Ego anno 1685. ad initium autumni, quo tempore aliâs febres istæ nunc cum, nunc sine petechialibus maculis erant apud nos familiates, duos Studioſos in una eadēque domo febre malignâ decumbentes,

utrumque plethoricum, & utrumque febre magis urgente, quam malignitate laborantem, ac utrumque dictis exanthematibus expertem.

Horum utriusque mox in principio & alterâ morbi die dum vires adhuc constarent, prætermisso, quod corpora haberent aperta, neque materia admodum turgeret, leniente, & clystere venam brachij sinistri, cò, quod in autúnino fuerimus, medianam aperiri, sanguinemque in quantitate febri & plethoræ, quantum videbatur, proportionata exinde educi curavi.

Postea, ut bis quotidie manè scilicet, & post prandium horâ 4. vel 5. de tali pulvere alexipharmaco acciperent jussi:

R. Cc. sine igne calcin. dr. i flor. nitr. scr. ijs lap. bezoard. or. scr. ss coral. rub. pp scr. i fol. auri nō i M. f. pulvis dividatur in 4. pr. æq.

Quarum una detur pro vice ex tali vehiculo:

R. aq. scorzon. galeg. aa. unc. iij  
hyr. rub. Idæi unc. i spir. vitr. q. s.  
ad gratam aciditatem.

Continuârunt cum his per triduum, cœs  
tañren non obstantibus utrique superve-  
nerunt præter insolitas cordis anxietates  
capitis dolor intolerabilis, vigiliæ conti-  
nuæ, sitis inextinguibilis, linguæ asperi-  
tæs prunellæ dictæ, & uni quidem deliri-  
um ferè continuum, alteri delirium qui-  
dem valde interpollatum, versus vespe-  
rum nimirum, & usque ad medium no-  
ctem, quo tempore tales febres commu-  
niter increscere solent; ast diarrhœa tan-  
tò immanior. Quibus visis ratione pru-  
nella, uti & delirij ipsius, capitisque do-  
lorum venas sublinguales, raninas dictas  
aperiri curâssem, ast in eo, qui diarrhœ-  
am patiebatur, viribus non confidi: adeo-  
que curavi id fieri saltem in eo, qui diar-  
rhœa immunis erat, & magis delirabat:  
quò simul tamen alteri succurreretur,  
author sui, ut uterque de tali mucila-

gine saepius in ore detineret, & postmodum eam vel deglutiret, vel reijceret.

R. mucilag. sem. cydon. psyllij aquâ prunel. extr. aa. unc. j suc. vel aq. semperu. maj. suc. cancr. fluviat. aa. unc. iss flor. nitr. vel lap. prunel. 3j diamorrh. usit. unc. j M. pro ulu prefato.

Super quod lingua cum dentis calpio abradatur.

### Pro virium corroboracione:

R. aq. cord. Herc. (ax. 2dæ unc. iss ceras. nigr. totius citr. aa. unc. ij corfunc. 3ij conf. alch. compl. scr. ij spec. de hyacint. dr. ss marg. pp. scr. j lap. bezoard. or. gr. iv spir. ros. scr. j fol. auri num. j M. detur cochleatim.

Extra simul cordis regioni admovebatur Epithema tale uti & pulsibus:

R. aq. ros. borrag. flor. (ambuc. aa. unc. ij flor. citr. unc. j spec. pro Epith. cord. 3j acet. rub. idæi unc. ss camph. croc. aa. scr. ss M. f. Epith. Pro

Pro vigilijs & delirio dabantur ei, qui diarrhææ expers erat omni vespere ante somnum emulsiones confectæ ex amygd. dulc. sem. limon. card. ben. napi, & papau. albi cum rotulis man. xti perlatis dulcificatae. Et insuper carpis manuum, & famoribus vesicatoria applicabantur. Ei verò qui diarrhæam patiebatur, & minus turbabatur, ungebantur saltem tempora cum

R. ung. alabastr. popul. aa. dr. jol. nucif. exps. scr. ss opij theb. cum ol. nymph. subact. gr. vi M. f. ungu. somniferum.

Interea tamen pulvis superius descriptus alexipharmacus quotidie more solito continuabatur, solum, quod postquam diarrhæam in altero incepisse, & excedere animadvertissem, eidem pulveri loco florum nitri, in diarrhæis suspectorum, tantundem boli armeni & crystal. pp. in eo, qui eam patiebatur, admiscere, & extra abdomini astringentia inungere, & fol. plantag. menth. & fl. ros. rub.

in aq. ferrata & vini rubri aa. p. & q. cocta  
calidè eidem abdomeni & lumbis instar  
catapl. applicare cæperim. Quibus ta-  
men non obstantibus diarrhœa usque in  
morbi finem, adeò vehemens perseve-  
ravit, ut omnia subitus ægro ipso inscio,  
aut retinere non potente, ruerent. Cly-  
steres abstergentes, & astringentes, in ta-  
li casu alijs efficaces, etiam ipsi propo-  
sueram, ast eos non admissit. Evasit ta-  
men tandem feliciter, et si longo tempo-  
re ad virium recuperationem indiguerit.

Ecce quām in utroque patiente perbel-  
lē utriusque satis factum fait, febri nimirum  
& malignitati, absque eo, quod ulla in  
remedijs subsecuta sit contrarietas, quia  
nimirum electa fuerunt alexipharmacata-  
lia, quæ non solùm malignitatem oppu-  
gnarent, verùm etiam simul febri prod-  
cessent.

Non verò dabantur illi, qui diarrhœa-  
am patiebatur emulsiones vespertinæ, et  
si eis ratione febris & vigiliarum quoque  
indiguisset, eò, quod utpote refrigeran-  
tes,

tes, & actu frigidæ sumptæ diarrhææ ob-  
esse potuissent.

Neque vesicatoria ei admovebantur,  
cò, quòd adeò non deliraret, sed taltem  
quandoque turbaretur, & quòd acres il-  
li humores, qui apud alterum copiosius  
caput petebant, apud istum ad aluum fer-  
ri viderentur.

Nec venæ sublinguales ei fuere aper-  
tæ, cò, quòd viribus, debilior videretur,  
& diarrhæa hac in parte videretur con-  
traindicans urgentius.

Cæterum maculis petechialibus præ-  
sentibus eodem tempore quoque, ut  
jam priùs dictum, apud nos frequentissi-  
mis ferè eodem modo procedere feliciter  
solebam: solum quòd dum febrem ad-  
modum intensam non reperirem, & na-  
turam in expellendo legniorem viderem,  
ad calidiora & volatiliora alexipharmacæ  
& diaphoretica audacter confugere soli-  
tus fuerim, & præ cæteris ad sal. volat. CC.  
quod priùs dictis nunc in majore, nunc  
in minore quantitate, prout malignita-

tem magis aut minūs urgere conijciebam,  
admitcebam, ad theriacalia tamen facile  
non deveni, territus infausto eventu illo,  
qui in textore, de quo jam aliās, acciderat.

Venam nulli, etsi Septalius & alij con-  
trarium tentiant, nisi ante petechiarum  
eruptionem vocatus fuerim, atque fe-  
brim & plethoram urgentiorem adverte-  
rim, incidi curavi.

Neque Epithematis facile (quæ quan-  
doque refrigerata, vel ab incautis frigidè  
applicata macularum regressum causant)  
utus fui, bene verò loco eorum confect.  
alcherm. ad pannum icharlatum exten-  
sam, & aliquot guttulis ol. citri, vel eti-  
am aceti pro majori penetratione perper-  
sam cordis regioni applicui.

Emulsionibus refrigerantibus quoque  
cautè usus sum, & tunc quidem semper  
cum semine citri, card. ben. & napi tem-  
peratis, & cum CC. pagiricè pp. aut eti-  
am conf. man. xti perlata permissis.

Temporibus tamen supra scriptum  
Iomnifacrum in excessivis vigilijs ad no-  
etem

Item inungere non intermisī, & semper laudano opiatō à quibusdam intrō in tali casu exhiberi solito, id prætuli, territus infāusto exemplo cujusdam Tibicinis uxoris, cui febre acuta cum continuis vigilijs detentæ Medicus emulsionem cum admisto dicto laudano opiatō ordinaverat pro tribus vicibus simul, illa verò arrepto vase, in quo Emulsio illa asservabatur, tanquam maximè sitibunda, totum unā vice ebibit, deluper suaviter quidem indormiscens, sed nunquam postmodum expergefacta.

Vesicatorijs quoque pro necessitate, urgente scilicet vel delirio, vel ad somnum, qui diuturnior eruptionem exanthematum retardat, nimiâ præclivitate, aut Epilepsia, sicut in coqua illa cujus memorabilem historiam nostram videre licet in Ephemeridibus Nat. Cur. Dec. 2. anni 9. obi. 64. liberè utebar.

In diæta attendebam præcipue, ne ægri frigidè nimis jacerent, aut aliâs frigido aëri se exponerent. Quoad cibum se

cum jusculis caponum & pullorum, panatellis, hordeatis, & avenatis succo citri, vel granatorum acidulatis contentarent. In potu verò omisso vino ( etsi illud non omnino interdicat Ettmullerus, Henricus ab Heer verò etiam cum ejus usu fæminam desperatam rursum tuisse restitutam memoret, obs. 5. ) cum aquâ ex incœcta rad. scorzon. hordeo CC. usto & sem. coriandri cum spiritu vitr. acidulatâ, aut si alui fluxus urgeret, cum aq. cui radix tormentil. gran. cherm. & CC. ustum cum modico sem. Coriandri fuit incoctum, boni cosulerent. Atque sic tractati ægri ( laus DEo ) convaleſcebant feliciter.

Morbo tandem sic superato, & appetitu rursus aliqualiter restituto ampliore vivendi viam ingrediebamur, neque tamen priùs, quam corpus fuerit ritè expurgatum, & à morbi reliquijs mundatum. Corpora enim impura, uti 2. aph. 10. annotavit Hip. quò plus nutriveris, eò plus lædes. Et rursum 2. aph. 12. quæ in morbis post crīsim relinquuntur, recidivæ facere consueverunt. In

In variolis & morbillis eadem est, & circa sudorifera, & venæ Sectionem, atque purgantia habenda animadversio: sudorifera scilicet, ubi febris major est, & natura in expulsione utcunque prompta, si eorum usus tamen videtur esse necessarius, debere esse temperatoria, & venæ Sectionem intermitti, quam si tamen febris ardenter, & plethora major omnino urgeret, ea per cucurbitulas sacrificata meo judicio tutius perficeretur. Quamvis eam tamen neque in ipsis pueris intertendam putet Wolfgangus Höfferus in Hercule suo Medico lib. 7. de morb. infant. *Quod venæ Sectionem attinet eam in principio adhibere, ubi febris valde est intensa, corpus plethoricum, & vires constant, etiam in pueris, qui a spontanea superveniente hemorrhagia narium aliquando plurimum juvantur, nihil vetat, & tanquam abest, venæ Sectionem naturæ cursum impedire (etiam si proxime imminet exanthematum eruptio, vel jam aliquod maculæ appareant) ut eum insuper juvare possit.*

*possit.* Imò in similibus circumstantijs quoque Paulus de Sorbait cap. de variolis idem practicandum centet non solum in principio, & sub variolarum eruptione, dum scilicet aliquot saltem, uti habet Höfferus, maculæ prostant, sed etiam in morbi progressu, si circa decimum, vel undecimum morbi diem ex linguae ariditate, corporis jactatione, calore, & siti ingentibus advertatur intendi febris. *Hoc in casu plerumque desperato, et si omnes variolæ extant, contra vulgi opinionem, si corpus sit plethoricum, ob indicans febrile, seu calorem præternaturalem ingentem, phlebotomia, vel vicaria scarificatio in parvulis celebrari jure merito potest, ita tamen, ut immediate post diaphoretica vebementiora porriganter.* Cum quibus etiam conferre licet Grassium Ephem. N. C. A. 3. obs. LV.

Nihil tamen melius est, quam si Medicus adhuc ante exanthematum eruptionem advocetur, & visâ plethorâ atque febre intensâ mox venam aperiat in adul-

tiori-

tioribus, in pueris verò sanguisugas applicet: sic enim omne ex tardiùs celebrandā venæ Sectione fortè oriturum periculum præcavetur: imò fit, ut natura sic parte aliquâ sanguinis & humorum ademptâ cæterum faciliùs vincat, & ad extra protrudat.

Purgationem ad finem usque morbi protrahere consultum est, imò nec quidem multa obstructæ diutiùs alui cura habenda, eò quòd ea durior expulsioni exanthematum conductit. Vbi tamen sollicitanda venit, id fiat vel per suppositoria mitissima, vel clysteres purè lenientes. Quamvis tamen si corpus videatur valde cacochymicum, non obsit mox in principio, & antequam variolæ aut morbilli proruperunt, leniens aliquod porrigeret, eò quòd per id multa, quæ fortè ob dictæ cacochymiæ præsentiam supervenire possent, accidentia, præcipue funestæ diarrhææ præcaveri possint, prout id Ego sæpius expertus sum, & suadet id etiam Ettmullerus de variolis & morbillis, ad id in

in specie mercur. dulci cum uno aut altero granulo pulv. jalap. pro stimulo addito utens, quod ipsum feliciter practicavit etiam Grassius in Ephem. Nat. Cur. A. 3. obi. 56. Item Bauchardus obi. 9. in Ephem. N. C. ejusdem anni.

### CAPUT III.

*De complicationibus in passione Hypochondriaca occurrentibus.*

**V**Entriculi frigidam, & hepatis calidam intemperiem, nisi ea matutè & per regulatam diætam, & idonea medicamenta corrigatur, successu temporis necessariò passio illa, quam ab regionem, quam occupat, hypochondriacam dicimus, consequitur, omnium terè morborum seminarium. Istā enim existente viscerum antipraxiâ seu contrarietate, non possunt non in corpore, & præcipue hypochondriorum, ubi infiniti quasi dantur vasorum ramuli, dicta regione plurimæ generari obstrunctiones, & humorum exustiones, flatûisque, genuina acciden-

tium

tium hypochondriacis accidere solito-  
rum causa. Ventriculus enim præter na-  
turam frigidus non potest, nisi cibum in-  
concoctum, & suo modo crudum relin-  
quere, germanam, siquidem juxta com-  
mune axioma, *prima concoctio non corri-*  
*gitur per secundam*, obstructionum ma-  
trem; hepar verò præter naturam cali-  
dum non potest non eundem plūs debito  
adurere, acrem reddere, atque in flatus,  
& vapores corporis partibus, ad quas eos  
postmodum deferri contingit, pro ea-  
rum diversitate diversè molestos, resol-  
vere; adeoque esse causa omnium, de  
quibus hoc malo detenti conqueri solent,  
accidentium. Quānām verò ratione id  
obtingat, nolo accuratiūs investigare,  
sed brevitatis gratiā B. L. ad alios, quo-  
rum propriæ sunt tales contraversiæ, in  
specie ad Paulum Zachiam, qui de hoc  
affectu specialem conscripsit tractatum,  
relegatum volo.

Suppono tamen cum Joanne Michaë-  
le proxeos Clinicæ spec. casu 16, & apud  
Gal.

**Gal. 3. de loc. affec. cap. 7.** Diocle, salvis  
aliorum, quorum tot ferè sunt hac in re,  
quot capita, judicijs, passionis hujus pri-  
mum & primarium subjectum esse ventri-  
culum, & hinc primò hepar, lienem,  
panchreas, & cæteras in hypochondris  
contentas partes.

Causam verò dictarum partium in-  
æqualem temperaturam sive à parentibus  
hæreditariò contractam, sive postmo-  
dum per diversos in lexibus non natura-  
libus commissos errores, acquisitam, de-  
pravatam concoctionem, atque inde or-  
tas obstrukções ordinariè hîc inculari  
solitas. His enim partibus debito mo-  
do constitutis debitè peragitur humorum  
concoctio, & digestio, & eâ bene pera-  
ctâ quiete se ibidem, & in cætero ab hi-  
scé suam alimoniam mutuante corpore  
omnia, hiscē verò malè constitutis ob-  
pervaria eorum fermenta omnia fieri con-  
traria necessè est, atque non solum ibi-  
dem, necio, quantos tumultus & me-  
tcorismos, verùm & in cæteris cum ijs  
medi-

mediantibus venis, arterijs, neruisque  
communicantibus corporis partibus.

Intemperatura verò illa est, quòd ventriculus sit solitò frigidior, hepar verò, & fortè adhuc aliæ, videlicet lien mesenterium, & illud perreptantia vasa, in hypochondrijs contentæ partes debitò calidiores. Vnde quidem prima eruitur complicatio, quòd nimirum ventriculus indicet pro sui curatione calefacentia, hepar verò & reliquæ hypochondriorum partes justo calidiores refrigerantia.

Ventriculo existente sic frigidore, debilique cibaria ei oblata indebitè concoquuntur, & chylus ex ijs generattis relinquitur suo modo crudus, crassus, & viscosus, variásque tubiens ob perversum fermentum vicissitudines adhuc alio modo vitiosus, qui ad minimos arteriolarum, venularumque ramusculos seu divaricationes delatus, quoniam eas tanquam talis, promptè permeare nequit, illas obstruit; à quo postmodum altera exturgit complicatio, nimiri, quòd abstructio-

nes istæ utpote ab humoribus crudis, crassis: & visciosis causatæ indicent remedia incidentia, attenuantia, & aperientia, quæ verò tanquam calida ab hepate & cæteris calidioribus hypochondriorum partibus frigida potius expositcentibus contraindicantur.

Atque ex hinc oritur dubium, quānam methodo hic tam contrarijs indicationibus satisfacere licet, absque eo, quod alicubi impingatur?

Porrò in Methodo Complicatorum generali dictum fuit, quod si duo simul concurrentes affectus sint tales, quorum unus magis urget altero, is prius & primariò curari debeat, qui magis urget; dum verò uterque æqualiter urget, uterque simul, & primariò curari debeat.

Frigidam igitur ventriculi intemperiem, & obstrukiones hypochondriacas, si respectu hepatis, & aliarum in hypochondrijs contentarum partium caliditatis consideremus, rem non semper æquè habere vel exinde elucescit, quod reperi-

periantur quipiam ob dictarum partium  
ingentem caliditatem, & siccitatem hu-  
morumque adustionem adeo macilenti,  
& quasi exlucci, ut praeter cutem, & os-  
sa, vix aliquid carnis habeant, ad quod-  
cunque etiam calidum assumptum in hy-  
pochondrijs, & propter inde ad fauces  
exhalantes vapores in ipsis faucibus in-  
gentem & siccitatem, & ardorem persen-  
tis; quod ipsum patiuntur & à tum-  
ptis fortioribus & acrioribus purgantibus,  
utpote non solum accendentibus, & bi-  
lem apud tales ob viscerum caliditatem  
acerrimam commoventibus, verum eti-  
am multum humiditatis, bilem illam alias  
temperantis & diluentis edacentibus.

Alij econtra temperatores ista non  
ita patiuntur, & obesiores sunt. Vnde  
patet viscerum illam caliditatem quando-  
que esse intensiorem, quandoque vero  
remissiorem, adeoque nunc urgentio-  
rem, nunc minus urgentem, conseqüen-  
ter etiam deobstruentia mediamenta ex-  
potere, & admittere non semper & qua-

lia, sed nunc calidiora, nunc frigidiora. Ex quibus quidem quantum aberraret ille, qui occurrentibus obstructionibus semper, & indiscriminatim ijsdem uteretur calidis deobstruentibus, facile eluceat.

Nos proinde ad indicantia, & contra-indicantia magis attenti, inter deobstruentia talem electionem observandam censemus, ut in subjectis calidioribus, siccioribus, biliosioribus, & magnam viscerum caliditatem, humorumque adustionem habentibus usurpentur frigidiora, sed (quò obstructionibus tamen succurratur) quæ ex eis tenuioris sunt substantiæ, vel certè si quandoque ob majorem deobstruendi incidendi, & attenuandi necessitatem calidiora eis intermissione, ex ijs temperatiore solùm elegantur.

In subjectis, verò temperatiorebus, nec admodum biliosis, adeoque tantum vilceum æstum humorumve adustionem non habentibus calidiora, utpote contradicante dicto viscerum calore & humorum adustione minùs, secùs ac in calu priore, prevalente.

Apta

Apta verò pro primo casu sunt præ cæteris serum lactis caprini, quo teste Brunnero Consil. 7. venæ mesaraicæ refrigerantur, & mineræ obstructionum eluuntur. Item acidulæ, nitrum, mars, tartar. atque ex ijs parati spiritus, tincturæ & similia, uti & ex vegetabilibus ea omnia, quæ refrigerantia tenuioris, adeoque penetratīvæ, & aperitivæ, seu deobstructivæ carentur substantiæ, quale est gramen, cicboreum, asparagus, endivia, taraxacon, & ex temperationibus eryngium, eupatorium, lcorzonera, adiantum, cuscuta, ceterach, scolopendrium, polypodium, fumaria &c.

Hinc qui in talibus calidis, biliōsis, & macilentis subjectis obstrukciones hypochondriacas rectè curare volet, poterit præmisso aliquo leniente primas vias ab humorum ibidem stagnantium laburia evacuante, & si plethora adesset, sanguinis è brachij mediana, vel salvatella, aut si ad hæmorrhoidales venas natura ex conductudine, pruritu, aut turgescentia

inclinare videretur, ex ijsdem per hirudinum applicationem in f. q. emissione, pro ulteriore obstructionum hypochondriacarum reparatione quotidie serum lactis, in quo aliquod, vel plura ex memoratis superius vegetabilibus fuerunt incocta, & calybs ignitus ad ter extinctus semper ad aliquod uncias, puta 8. aut 10. ad summum ad lib. j propinare, & hoc ad minimum per 15. vel 20. dies consequenter, prout id etiam suadet Paulus Zachias de affect. Hypochondr. lib. I.

## C. 24.

Ne vero ventriculus frigidior per id offendatur, oportebit ei per illa, quæ ejusdem intemperie corrigenda postea asserentur, tam internè quam externè præcipere.

Gratius vero illud serum evadet, si praeter prefata ei simul pastulæ minores fuerint incoctæ, vel si decoctioni aliquid de syrupis aperitivis temperationibus, qualis est byzantinus, de scolopendr. capil. venefis, de enizvia & similibus fuerit additum.

Eff.

Efficacius verò, si ei insuper aliquid crystal. tartari, aut pulu. hepat. rub. addideris. E. G.

R. rad. gramin. cicbor. hylu. asparagus. aa. dr. iij herb. agrimon. scolopendr. cuscut. cicbor. hepat. nob. aa Mj flor. 4. cord. cicbor. aa. p̄j coq̄ in seri. lactis capr. l. q. ad colat. lib. iss cuius clarificati & marte per extinctionem imprægnati bibantur omni mane unc. 6. ad 8. & ultra, per se, vel cum additione unc. i syr. bizant. & scrup. i crystal. tarta. cum modico aq. flor. citr.

Continuatâ sic per dies plures curâ deobstructivâ, & attemperativâ, poterit quidem fieri humorum ab obstructionibus jam solutorum ulterior expurgatio, sed medicamento neque valde calido, nec vehementer, siccanteue: quale quidem esset, si tero lactis per dictorum incoctionem prius alterato quæpiam purgantia humoris præ cæteris peccanti accommo-

data, ut fol. sen. rhab. manna, polypod.  
querc. tamarind, aut similia in coqueren-  
tur, E. G.

R. Rad. cichor. gramin. asparag.  
aa. dr. ij herb. agrimon. cuscut.  
scolopendr. aa. mss flor. 4. cord.  
aa. pj fol. sen. s. st. unc. ss rhab.  
el. scr. iv crem. tart. 3j coque in s. q.  
seri lactis caprin. ad colat. unc. iv  
cui adde syr. diaser. unc. j aq. flor.  
citri parum, tartar. vitr. scr. j M.  
f. potio.

Vbi quidem ex Paulo Zachia notandum  
tales patientes non facile esse cum medi-  
camentis in solida aliqua forma, præci-  
puè pillulari, purgandos, eò, quòd talia  
non solum plus justo calefaciunt, & vel ma-  
jore, cum violentia, vel nullo modo operan-  
tur, verùm etiam potionum instar non ita  
in partes remotiores penetrant, operationes  
námque suas attractionis vi edunt, ven-  
trem præterea magis astrigunt, quàm antea-  
erat, redundunt.

Atque siquidem tanta obstructionum  
con-

contumacia vix unico tali processui cedit ; oportet his factis rursum ad dicta , vel similia aperientia redire , ac tandem iterum corpus per intervalla dicto modo expurgare . Vel licet etiam cum acidulis rem aggredi , utpote non solum alterantibus , & deobstruentibus , verum etiam expurgantibus & diureticis , adeoque singulis in tali casu occurrentibus indicacionibus perbellè satisfacientibus . Sed cave , ne eas interna viscera læsa habentibus propines , aut eos , quibus non transcunt , aut grave aliquod accidens inducunt veluti vomitum , aut quid simile , cum ijs cogas . Loco acidularum quidem non inconvenienter propinaretur serum lactis caprini , sed quo promptè transiret , non minus copiosum , quam acidulæ potari deberet , ad exemplum Dioscoridis qui l. 2. c. 62. ejus heminas quinque province concedit . Accipitur vero hemina diversimodè , ab alijs pro unc. ix ab alijs pro x & pluribus , adeoque hemine 5. uti calculat Steph. Rod. Castrensis in

tract. de fero lactis c. 5. facient lib. circiter iv, & plus, quā dosi nos communiter acidulas propinamus. Hippocrates planè Cotylas, quarum una capit unc. ix. octo propinabat, quæ faciunt rursus juxta calculationem memorati Roderici Castrensis lib. vij & unc. ij quemadmodum nos quoque quandoque cum acidulis eò usque, & ulteriùs ascendimus. Et ista dosis quidem deberet tota taltem intra horæ spaciū epotari, intermedio tempore, sicut in acidularum potu, suadente sic Diōscoride obambulando, & ventriculum, ne feri frigiditate magis offendetur tam cum internis, quam cum externis calefacientibus & roborantibus fovento. Primo haustui, si quis ad unc. ij de syrupo rot. aut viol. solutivo adderet, serum tantò promptius transire faceret, & ei minor quantitas transeundo sufficeret. Conferatur quoad hoc etiam Zanchias de affect. hypochon. l. i. cap. 24.

In Casu secundo, in hypochondriacis scilicet, qui temperatarioris sunt naturæ,

&amp;

& habitus obesioris, quæ convenire possunt sunt, rad. & aperit. maj. rub. tintorum. cappar. anonyd. chelidon. utriusque, filicis, herb. cuscus. absynth. pont. chamædr. chamæpit. fumar. cochlear. lupul. becabung. thymi, Epithym. cort. rad. tamaris. cappar. sem. 4. calida utraque, crem. tart. & ex eo parata, uti & martilia quæcunque quorum exempla vid. apud Zachiam de affect. hypochon. l. i. c. 21. de chalybe. Salia ex vegetabilibus præcipue amaris parata, quale est sal absynth. cent. min. &c. oxymel tam simplex quam comp. squillatum, & chalybeatum &c. quibus omnibus vis magna deobstruendi tribuitur.

Præmisso proinde leniente, &, si videatur, venæ Sectione, pro obstructionum reseratione, & vitiosorum humorum præparatione enarrata in sero lactis caprini, quod teste zacuto Lusit. in morbis tam calidis, quam frigidis convenit, utpote ex sententia Meluzæ alienas qualitates facile recipiens, decoquantur, & in iupçixis statuta dosi per dics plures vel per se, vel

vel addito in colatura syrupo de polypod.  
ad unc. i ad ii de fumaria, de duabus, de 5.  
radicibus, similiue aliquo, nec non scrup. i  
crystal. tart. consequenter bibantur. Ri-  
verius taltem Epithymum incoxit. Qui  
pulveres præoptat, quotidie accipiat à  
dr. ls ad dr. i de pulvere confecto ex tart.  
vitr. fæcul. aron. sal. fumar. fraxin. ab-  
synth. croco mart. aperit, vel pulu. Cacheet.  
Querc. aut similibus. Quò pertinent eti-  
am tind. tart. martis aperit. & pluri-  
ma alia, quæ præcipue videre licet apud  
Zachiam.

His sic per aliquot dies continuatis lu-  
perest ad peccantium, & ab obstructio-  
nibus solutorum humorum educationem  
devenire; quod quidem eodem modo  
commodissimè fieri potest, si sero lactis  
per memorata aperitiva alterato peccan-  
tibus humoribus accommodata purgan-  
tia incoquantur, atque cum additione  
syr. de polypod. de pomis, aut alio simili  
propinentur, vel si cuipiam pillulæ ma-  
gis arriderent: tunc

R. pil. tart. Schræd. melanag.  
 Querc. aa. gr. xv extr. belleb. nigr.  
 gr. vi scammon. Sulph. gr. ij M.  
 cum tinct. tartar. f. pil. non ix pro  
 dosi.

Expurgato sic corpore, cùm affectus sit  
 semper contumax, neque levioribus, aut  
 citò cedat, licet rursus ad præfata, aut  
 similia, quorum copiam transcribere li-  
 ceret ex citato Zachia & alijs, deobstru-  
 entia redire, & hoc toties, per intervalla  
 semper corpus aptè expurgando, donec  
 malum in integrum cesisse videatur:  
 quamvis ægri tam diurnam patientiam  
 vix unquam habeant, sed remedia pertæ-  
 si plerumque ante obtentam salutem à  
 cura desistere soleant; quæ etiam unica  
 est causa, quòd vix aliquis eorum in inte-  
 grum restituatur.

In diæta non minor habenda discretio,  
 eo quòd nec ipsa omnibus eadem com-  
 petit, sed pro subjecti diversitate varian-  
 da venit, biliosis siquidem, macilentis,  
 & magnam vilcerum calitatem & siccii-  
 tatem

tatem, humorumque exustionem habentibus & què calida non competere, ac contrario modo constitutis per se clarum est, quamvis tamen ob viscerum caliditatem neque posterioribus calidis nimium delectari tutum sit, sicut nec illis, frigidis, sed melius sit utrisque, præcipue vero illis penes temperata manere. Quantum enim multus refrigerantium usus, etsi incensis visceribus aliàs conferre videatur, obsit, edici non potest, concipi tamen potest, si consideretur frigida omnia ex natura sua (nisi planè tenuium sint partium) stiptica esse, vias sibi præcludere, obstrukiones augcre, & in stomacho digestionem impedire, adeoque dare causam, quò ab eo aliàs debili & frigido ingesta non rectè concoquantur, sed cruda & indigesta relinquuntur, vera postmodum, cum prima concoctio non corrigatur per secundam, futura obstructio-  
num, & flatuum materia. Vnde qui-  
dem, quām malè practicent illi, qui suis patientibus semper jejunè, aut saltem pro-  
pri-

primo haustu in mensa trigidæ potum sua.  
dent neclentes quòd

*Potus aquæ sumptus comedenti incom-  
moda præstet,*

*Hinc friget stomachus, crudus & inde  
cibus.*

facilè coniicitur.

Quid igitur eis tandem bibendum , ne  
impingant , quandoquidem aqua tan-  
quam refrigerans sit declarata pro noxia ,  
vino verò tanquam calefacenti videan-  
tur repugnare calidiora viscera ? Re-  
spondeo cum Paulo Zachial. i. de affect.  
hypochondr. c. 14. hac quidem in parte  
quemlibet tuam posse consulere experi-  
entiam , & cum eo , quod magis ipsi  
prodesse videtur , tenere : in genere ta-  
men videri optimum esse , si quis penes vi-  
num cum aqua plūs aut minūs pro cor-  
poris constitutionis diversitate dilutum ,  
& illud potius ad facilitandam ventriculi  
digestionem potentius , quàm debilius ,  
semper tamen album , tenue , defæcatum ,  
& diureticum permaneat , aut si potentius  
illud sibi obesse sentiat , non bibat de-

eo continuò, sed saltem pro primo, ad facilitandam digestionem, in pastu hau-  
stu, reliquum verò de leviore, & tali,  
quod sibi conducibilius videtur. Sed di-  
lutio illa vini cum aqua longo tempore,  
antequam bibatur, fieri debet, ut nimi-  
rum melius invicem permisceantur, at-  
que adeo minus noxia evadant.

Sed quid, si quis interdiu sitiat; de-  
betnē cum vino potiùs, aut cum aqua te-  
nere, aut ab omni omnino potu absti-  
nere? Respondeo rursus cum memo-  
rato Zachia, talem non debere ab omni  
potu abstinere, etsi ille quidem intra  
unum & alterum pastum assumptus co-  
ctionem aliqualiter retardare possit, eo  
quòd illud damnum tantum non sit,  
quanta esset noxa ex nimis diurna hy-  
pochondriorum calorem nimis inten-  
dentis, corpus exsiccantis, humores adu-  
rentis & sanguinem incrassantis sitis tole-  
rantia: non debere tamen bibere vinum  
purum, eo, quòd tale non solum sitim  
etiam non extinguat, ac aqua, verum

etiam quòd corpus & sanguinem accen-  
dat; sed aut cum plūs, quàm medietate  
aquæ dilutum, aut aquam solam cum  
stomachicis & flatus discutientibus, qua-  
lia sunt iem. anil. fænic. coriandr. cinam.  
cort. citr. & similia, decoctam, aut eti-  
am simplicem fontanam, si bona ad  
manus habetur, vel Nocerianam. Ne-  
quæ id cum tanto, quantus communiter  
haberi solet, quoad quantitatem scrupu-  
lo, præcipuè in biliosis, siccis, & valde  
accensis corporibus, adeoque humecta-  
tione, & attemperatione indigentibus,  
cui verò contrarium efficit parcior hau-  
stus; facit nimirum, quòd hypochon-  
driorum æstus augatur, humores exuran-  
tur, fæces exsiccentur, venter induretur,  
sanguis crassificat, atque majores obstru-  
ctiones inducat, minus promptè circu-  
letur & distribuatur, atque alvus minus  
correspondeat. Est bene quidem verùm  
inde quandoque majorem mox sentiri in-  
flationem, verùm, si rectè attendamus,  
ea durabilis non est, sed paulò post disku-  
titur,

titur, adeoque tantæ considerationis non est, ut propter eam quis urgente intensâ siti & alijs correspondentibus circumstan- tias, corporis scilicet siccitate, viscerum æstu, humorum biliosorum copiâ, anni tempore, & similibus à potu abstinere de- beat. Aliud est in subjectis temperatio- ribus & contrario modo se habentibus, nimirum magis ventriculi frigiditate, de- bilitatéque, atque crudorum succorum copiâ, quam viscerum accensione & bi- liosorum adūstorumque humorum quan- titate laborantibus, quibus propterea si- cut sitis tanta esse non solet, ita largior pōtus magis nocet. Atque adeò in om- nibus, ad indicantia & contraindicantia rectè attendendum, & ei semper, quod prævalet, se primariò accommodandum.

Quod ipsum puta & de cibo, in quo etiam scrupulosissimi solent esse similes Patientes: videlicet optimum esse, si is pro possibili servetur temperatus, dum- do etiam quoad cætera sit aptus; non sit nimirum flatulentus, difficulter digestibi- lis,

lis, acris, aut salsus, aut aliàs naturæ contrarius, quamvis tamen non nihil calidior temperatioribus & obesioribus tuberculatis, majore ventriculi frigiditate, & crudorum humorum copiâ, quam cæterorum viscerum caliditate, & bilioïorum, acriumque humorum quantitate laborantibus, non omnino obsit. Neque in illius quantitate tantus rigor observandus, præcipue in siccis, biliosis, & valde extenuatis corporibus, quib[us]que alius duriore esse solet: eò quod experientia docet, tales i.e. jejunè deterius, quam postquam cibati fuere, sentire, & alium minus correspondentem habere, quam dum copiosius comedenterunt, quemadmodum tales notavit saepius memoratus Zachias. Secus econtra est, cum obesioribus, & plurimis pituitosis frigidisque cruditatibus abundantibus, qui propterea etiam facilius jejunium tolerant, & ad parcam comestione in melius se sentire solent. In singulis tamen ad id, quod natura recipit, & ad quod melius se sentit, ad-

vertendum, & secundūm id se regulandum. Prouti plura ea de re legere licet apud toties citatum Paulum. Zachiam in diæta hypochondriacorum: ubi & de cæteris sex rebus non naturalibus, quas nos verò brevitatis gratiâ studiò prætermittimus, perbelle discurritur.

## C A P U T   I V.

### *De apoplexia cum febre complicata.*

**A**Poplexiæ morbo attonito Celso dicitæ, & alijs soporosis affectibus, Catato nimirum, Comati, Catalepsi & similibus subinde quoque febres supervenire contingit, quemadmodum talis concursus meminit Hip. 6. aph. 51. quoniam igitur quoque horum curationes sint ratione refrigerantium à febribus indicatorum dictis affectibus utpote à causa frigida communiter dependentibus contrariæ, non levis momenti exoritur controversia, quānám ratione quoque in istis procedendum, ut succurrendo uni, non pectetur in alterum.

Verùm respondeo, quòd, sicut in his eadem est difficultas, quæ fuit in alijs hætenuis allatis casibus, ita idem processus: nimirum ad eum esse curationem primariò dirigendam, qui magis urget, aut si uterque affectus æqualiter urgere videtur, ad utrumque quidem primariò, sed ne ratione contrarietatis remediorum impingatur, præcavendo aut per artificiam remediorum electionem, aut per astutum eorundem usum.

Jam igitur manendo in Apoplexia, si febris ei superveniat: ad quam venit cura potius dirigenda, ad apoplexiámne, vel ad febrim, aut ad utrumque simul? Respondeo quòd ad apoplexiám, cò, quòd ista periculosior consequenter urgentior sit quâcunque febre, quæmadmodum id coniçere licet ex utriusque ad invicem comparata natura, parte, quam afficiunt, & facultate quam primariò lèdunt, quæ singula sunt in apoplexia majoris considerationis, quam in febre, consequenter urgentiora; Natura nimirum apoplexiæ

est, quod intra 7. dies terminetur teste  
Hip. 6. aph. 51. febris vero, quod ter-  
minetur intra dies 14. Pars primario affe-  
cta in apoplexia est cerebrum, in febre  
vero cor: facultas primariò læsa in apo-  
plexia est animalis, in febre vero vitalis;  
numquid vero illa istis sunt considerabi-  
liora, quandoquidem acutior consequen-  
ter considerabilius est affectus, qui citius &  
cum maiore violentia tendit ad suum ter-  
minum, quam ille qui tardius; pars præ-  
stantior illa, quæ rationalis animæ est  
sedes, qualem appellat cerebrum Gal. 13.  
Meth. Med. Cap. 21. & post eum Calpa-  
rus à Reies in Campo suo Elysio Jucun-  
darum questionum quæst. 45. num. 43.  
quam illa, quæ talem titulum non mere-  
tur, quale est cor; facultas etiam emi-  
nentior illa, quæ nobiliores edit operatio-  
nes, quales sunt animales, quas edit fa-  
cultas animalis, quam illa, quæ minus  
nobilium est cauta operationum, quales  
sunt vitales, quæ à vitali procedunt facul-  
tate: adeoque constat apoplexiā quoad  
om.

omnia esse febre considerabiliorem, con-  
sequenter ad eam præ febre curam esse di-  
rigendam. Quin imò, si Hippocrati fi-  
des habenda, quòd nimirum superveni-  
ens apoplexiæ febris eam solvat, febris in  
tali casu non solùm melius negligetur,  
verùm, si non adsit, si possibile erit, indu-  
cetur. Qui valentes capit is doloribus corri-  
piuntur, & protinus muti fiunt, & ster-  
tunt, intra septem dies intereunt, nisi fe-  
bris eos prebenderit. 6. aph. 51. ubi ta-  
men advertere licet non quamcunque fe-  
brim ad id sufficere, sed illam solùm, uti  
bene notat in Comment. citati aph. Chri-  
stophorus à Vega & Lazarus Riveritus lib.  
1. proxeos c. 2. quæ valida & acuta est,  
esentialis, ac ab humorum & spirituum  
effervescentia oriunda; quæ verò remis-  
sior est, & ab universali languinis accen-  
sione non procedens, aut talis quidem,  
sed tardius, & naturâ jam valde prostratâ  
superveniens, id præstare sufficiens non  
est. Apoplecticæ enim affectiones, ut in  
Coacis habet Hip. derepentè exsolutorio

modo fientes, febre temporis progressu acci-  
dente pernicioſæ. Prius enim naturam de-  
ſicere, quam à febri frigidos illos & pitui-  
tos humores concoqui, ac abſumi con-  
tingit, quemadmodum illud taliter ante  
paucos annos accidiffe recordor nobis.  
li Matronæ, temperamento pituitolo, &  
capite grandiore colloque breviore, qua-  
les præ cæteris esse apoplexiæ obnoxios,  
testis est experientia, præditæ, & post per-  
pessum non ita pridem alium quempiam  
gravem morbum ad autumni principium  
recte sub lactucæ, quâ maximopere dele-  
tabatur, clu factæ apoplecticæ cum re-  
pentè oborta motuſ & lensuſ, ipsiusque  
respirationis, quæ sterterola valde erat,  
inſigni laſione: Cui etſi tertiâ adhuc ab  
intultu die febris continua acuta ſemper  
post meridiem versus vesperum exacerbari  
ſolita tertianam duplicem æmulans ſu-  
pervenerit, apoplexiam tamen non  
ſolvit; quin imò Patienti aliunde par-  
tim à præcedente indispositione, partim  
à paroxylmo apoplectico toti prostrata,

&amp;

& solutionem morbi, quæ à febri sperabatur, expectare impotenti perniciosa fuit. Etsi enim omnia ex arte adhibita fuerint, illa tamen ad initium diei octava interiit. Nimirum

*Non est in Medico, semper relevetur,  
ut æger,*

*Sed sæpe doctâ plus valet arte malum.*

Instituebatur verò Curatio ad data nostra fundamenta, respectâ nimirum non febri, sed potius apoplexiâ tanquam urgente, datâ prius domino Marito ex Hippocratis illo 2. aph. 42 *solvere apoplexiam fortem*, (qualem istam fuisse sterterosa respiratio arguebat) *est impossibile*, *levem verò non facile*, de morbi eventu prognosi, modo sequente: omnium nimirum primò mox ab insultu, ac esse poterat, pro peccantium ipsum cerebrum, aut juxta alios, ventriculos ejus inundantium, & vel sic solitum & liberum spirituum animalium ad inferiores partes influxum intercipientium pituitotorum humorum à capite revulsione præter extre-

morum frictiones, & ligaturas dolorificas talis clyster appropriatus erat injectus:

R. decoct. emol. cum herb. salu.  
calamentb. majoran. rutæ, cent.  
min. aa. mss cartham. contus. unc.  
ss flor. stæchad. primul. ver. aa. pij  
chammom. pij facti lib. i in quo diff.  
elect. diaphæn. bened. laxat. ad.  
dr. vj bier. Logad. dr. iiss mel.  
anthos. unc. j sal. gem. dr. iss M.f.  
clyster.

Per os verò eodem tempore, & postea per curæ decursum sæpius per intervalla pro humoribus tum præparandis, tum discutiendis, uti & cerebro corroborando, motuque ordinario spiritibus animalibus interceptis rursus reducendo talis mixturæ apoplecticæ cohlear unum aut alterum porrigebatur:

R. aq. apoplect. lauend. lil. conual.  
aa. unc. iss. lyr. de stæchad. 3ij  
spir. sal. armon. lcr. j tinct. castor.  
gt. xv ol. succin. caryoph. effent.  
salu. aa. gt. iii M.

Tem.

Tempora etiam, nucha, & spina dorsi  
ungebatur cum ol. luccini, castor. lumbr.  
ter. & spicæ. Naribus quoque admoveba-  
tur nunc ruta hortensis cum aceto acerrimo  
contrita, nunc. ol. luccini stil. cum spir.  
sal. armon. permistum.

Pro facilitanda loquela ordinata qui-  
dem fuit oris collutio ex aq. majoran. &  
ceras. nigr. cum theriaca & spir. serpil.  
permista, quæ verò in usum duci ob ægræ  
debilitatem non potuit.

Altero mane loco memorati clysteris  
pro ulteriore humorum revulsione &  
eductione fuit tale purgans exhibitum:

R. Extr. pil. cochiar. dr. ss & extr.  
castor. gr. iv troch. alband. gr. vi  
dissolu. in aq. lauend. unc. ijs syr.  
de Stæch. 3ij ol. succin. gt. ij  
M. f. potio.

Quam vix quidem assumperat, aliquo-  
ties tamen toleranter deiecit, absque ta-  
men notabili melioratione, ut propterea  
pro adhuc majore revulsione Ego adhuc  
eo vespere vesicatoria nuchæ & brachi-  
ijs,

ijs, crurib<sup>us</sup>que apponenda censuerim, quod verò quia à Domino marito impretrare non potui, eis cucurbitularum siccarum tenu ventolarum post scapulas tractionem substituere coactus fui, quæ verò tam parùm profuit, quām cætera.

Vt adcò tertiâ die rursum memoratas pillulas repetendas iudicaverim, unâ cum primâ die factis inunctionibus &c. Sed ecce verlus vespere facies rubicundior, pulsus frequentior, & respiratio concitator deprehenditur, ægra ipsa etiam primâ vice balbutiente licet lingua haustum indesinenter desiderare cœpit. Ex quibus accessum febris conjecimus, sperantes quidem ex allegato Hip. prognostico meliora, sed, prouti eventus postea docuit, frustra.

Quartâ & quintâ die loco pillularum clyster fuit injectus, sternutationes movebantur, ori etiam radix imperat. non nihil conquassata indebatur, cum quibus multum quidem phlegmaticæ materiæ prolicueramus, sed quòd eam ex ore ex- tra-

trahere non potuerimus, consultum du-  
ximus à similibus remedijs, præcipue ra-  
dice imperatoria rursus desistere. Capiti  
insuper cum cucupha prospeximus, & vi-  
rium debilitati cum cordalibus memora-  
tæ mixturæ apoplecticæ additis. Ægra  
interea manè semper se aliqualiter tol-  
erantiùs habere videbatur, verius vespé-  
rum verò & usque ad medium noctem  
rursus deteriùs.

Sextâ die pulsus intermittere animad-  
versus est, & clyster, quia diu retentus  
non fuit, cum minori effectu injectus.  
Quare

Septimâ die in minore quantitate, quò  
fortè diutiùs retineretur, injiciendum  
fuerat, ast nullatenus diutiùs retentus, sine  
effectu mox redditus est, Dñâ patien-  
te se tamen melius, quam unquam ha-  
ctenus habere visâ; intelligibiliùs enim  
loquebatur, faciliùs respirabat, de extre-  
ma capitis debilitate & omnium artuum  
intolerabili dolore conquerebatur, qua  
melioratio tamen diu non perduravit,  
sed

sed vix meridies adfuit, & mox consuetus stertor, somnus profundissimus redire, pulsus plus, quam unquam hactenus concitari, respiratio difficilior, inordinatior, & frequentior reddi, corpus ipsum copiosissimo sudore, tenuis ac alijs diebus, inundari visum fuit. Quo quidem in statu tam diu perseveravit mitera Matrona inexcitabilis, donec ad initium diei octavæ pie in Domino obierit.

Procul dubio natura extremas suas vires ad propuliandam ex partibus principibus morbi causam, & taliter superandum morbum ipsum septimâ die impenderat, verum ejus gravitate oppressa in ipsa de Victoria concertatione defecit; ut adeò perprovidè adverterit Gal. in historia Hermocratis, prope mortem sæpius allevationes contingere, sed quibus fidendum non sit.

Sed diceret quispiam apoplexiā quandoque à sanguine, ut in plethoriciis, aut ijs, qui graviter percussi ad caput fuere, vel ex alto cecidere, vel quorum cere-

brum

brum erysipelatosâ inflammatione affec-  
tum est &c. ortum ducere, ergo in his  
saltem casibus supervenientis febris quo-  
que ratio erit habenda. Sed respondeo  
tales casus esse extra nostrum suppositum,  
eo, quod hîc solùm de apoplexia cum fe-  
bri complicata, adeoque tali, quæ à cau-  
sa frigida, crassis scilicet, & pituitosis hu-  
moribus dependet, quæratur, in dictis  
casibus verò nulla esset apoplexiæ cum fe-  
bre complicatio.

2dò posset quis rursus dicere, febrim  
posse per se adeò gravem esse, ut discussio  
etiam apoplectico paroxysmo se sola æ-  
grum è medio tollere possit; ergo in tali  
casu, à quacunque etiam causa procedat  
apoplexia, febris respectum habere oportebit.  
Respondeo si paroxysmus apople-  
cticus esset adeò levis, ut à supervenien-  
te febre, fuisset omnino discussus, febre  
nihil ominus graviter in ægrum sœviente,  
procul dubio ejus respectum quoque ha-  
beri debere, ita tamen, ut remedijs pro  
febre adhibitis cephalica temperatoria sal-

tem ad præcavendam apoplexiæ recidi-  
vam semper admiserentur; in nostro  
verò calu apoplecticus paroxysmus nun-  
quam fuit omnino discussus.

Tandem posset quis quærere, cur jam  
dictæ Patienti sanguis non fuerit missus,  
cum hoc remedij genus tamen adeò fa-  
mosum sit in apoplexia, ut vel sola quan-  
doque ad solvendum apoplecticum paro-  
xysmum sufficiat.

2dò cur præfatis cephalicis moschus &  
ambra, cum tamen ista sint optima ce-  
phalica, non fuerint addita. Respon-  
deo ad primum nos venæ Sectionis nul-  
lam in ægra nostra habuisse indicationem.  
Aliud est, ubi apoplexiā à sanguine pro-  
cedere, aut taltem soveri suspicio est,  
qualiter contingit in percussis, ex alto de-  
cidentibus, aut alias plethoricis. Re-  
spondeo ad 2dum notum nobis esse mo-  
schum & ambram, & ex eis confecta in-  
comparabilia esse corroborantia cephalicæ,  
verùm eorum usui hīc obstatre vide-  
batur ingens ægræ nostræ ad hystericas  
possit.

passiones proclivitas, quibus similia valde  
fragrantia obesse solent. Quamvis Grylin-  
gius in suo Florilegio chymiatr. ambram  
& moschum si cum ol. succini, aut casto-  
reo corriganter, hystericis non obesse pu-  
tet, & ab alijs læpius, uti à Riverio Cent.  
1. obl. 65. moschum ad hystericae pa-  
sionem cum fructu exhibitum legamus.

## CAPUT V.

*De ventriculi frigidæ & hepatis calidæ  
intemperiei complicatione.*

**Q**ui hepate sunt justò calidores, plé-  
rumque ventriculo solent esse frigi-  
dores. Quam difficile verò sit eos per-  
curare, patet ex eo quod pro primo duæ  
istæ partes taliter sitæ sint, ut viâ circula-  
tionis, idem quod assumitur ad ventricu-  
lum, etiam ad hepar perveniat, adeoque  
idem, quod ventriculum afficit, afficiat  
successivè etiam hepar. 2dò quod reme-  
dia à dictis indispositionibus indicata sint  
sibi invicem contraria, calida nempe &  
frigida, adeoque se invicem in eodem sub-

Q

jecto

jecto non compatiuntur. Quid igitur factō opus, ut memoratæ indispositiones feliciter auferantur, & tamen ratione contrarietatis remediorum nullum sequatur incommodum? R. rem quidem istam primâ fronte valde dubiam, & arduam videri, & methodo vulgari, quæ simpliciter contraria contrarijs curanda docet, vix superabilem, quòd si tamen juxta nostra fundamenta cura instituatur, difficultatem tantam non tote, eò quod ibidem plures monstratæ fuerint viæ, quibus cum similibus contrarijs indicatis tutò procedere licet, absque eo quòd ulla inde sequatur inconvenientia: Et primò quidem possunt pro dictarum intemperierum correctione ex ventriculum calefacientibus talia eligi, quorum vis calefactiva ad hepar non pertingit, adeoque quæ corrigan frigidam ventriculi intemperiem absque eo, quòd calidiori hepaticam offendam ullam inferant, quali quidem virtute pollere diximus in specie piper crassè contusum, aut integrum devora-

tum,

tum, Cui similem virtutem habere etiam  
*species diatrion. piperon.* dictas, testis est  
apud Burnetum Seylerus Consil. 6. l. 4.  
consil. Craton. & eas præcisè in hunc fi-  
nem fuisse excogitatas à Galeno. Præ-  
stare id verò eò, quòd vis illa eorum c-  
lefactiva in tenuiori saltem substantia hæ-  
reat, adeoque facile priùs evaporet, &  
ventriculo communicetur, quām ad he-  
par perveniat. Nunquid verò taliter luc-  
curretur ventriculo frigido, absque eò  
quòd noceatur hepatico? Cui verò  
si etiam simul opem ferre velis, adjunge  
dictis ventriculū calefacentibus aliquid  
refrigerans, sed in forma liquida, quali-  
ter fecit Avicenna cum *ptisana*, & habe-  
bis tuum intentum. Sed adverte me di-  
cere in forma liquida, & piper integrum,  
aut crassè contusum, eò, quòd, quæ so-  
lida sunt, & in forma densa, inventricu-  
lo diutiùs moram trahant, adeoque vim  
suam melius in eum exserunt, liquida ve-  
rò ècontrà citius ex eo rapiuntur, & ad  
hepar deveniunt, adeoque ventriculum

ita non afficiunt, sed potius hepar, & propterea si calefaciendus est solus ventriculus, hepar verò refrigerandum, oportere medicamenta pro calefaciendo ventriculo exhibere in forma solida, & quod negotium adhuc tutius procedat, eligere ex eis talia, quorum calefactiva vis leviter eis inhæret, & facile ab eis separatur, antequam ex ventriculo ulterius perveniant, pro hepate verò refrigerando in forma liquida, eò, quod liquida citius ventriculum pertransirent, quam solida.

2dò licet Curationem ita instituere, dum ventriculus dicto modo curatur per interna hepar interea refrigeretur per externa, adeoque dum ratione frigidi ventriculi intus exhibetur dictum piper, *sue diatr. piper.* aut aliud simile, hepatici interea prospiciatur exterius cum *cera* *santalino* cum *ol. ros. malaxato*, *ungu. santal. rosaceo, refrig. Gal.* aut similibus, quorum innumera videre est apud Authores. Vel econtrà, dum interius hepatis caliditas oppugnatur per refrigerantia

rantia interna, interea ventriculi frigiditas corrigatur per externè admota calefacientia. Centetur verò teste Lazaro Rive-riò Cent. i. obs. 49 hepati præcalido præ omnibus alijs conferre *tinctura coral.* ad eum modum, quem ipse ibidem præscribit, parata, si ejus quotidie duabus horis ante pastum aslumantur duo cochlearia. Quod ipsum præstat, teste eodem etiam *tinctura roscarum.* Item *serum laetis capr.* si per 15. dies consequenter, aut etiam plures potetur per se, aut qualiter illud præparat Quercetanus:

R. Seri lact. lib. ij succi limon. unc. ij succ. pomor. redol. rec. extr. unc. iiij omnia simul album. ovi prius agitata ad ignem clarificantur, addendo parum saccb. de colat. capiantur quotidie unc. v ad viij continuando ad 15. vel 20. dies.

Item talis Julepus

R. rad. acetof. cichor. gram. la, path. acut. aa. unc. j fol. endiu. sicker. acetof. capil. ven. aa. mj

flor. cichor. borrag. buglos. aa. pī co-  
que ad lib. ; in colat. diss. lyr. de  
limon. unc. iij f. julepus clarus pro-  
tribus dosibus bis in die sumendis,  
qui si simul cum spir. sulph. aut  
vitr. ad gratiam acidulabitur, aut  
ei ad dr. ; lap. prunel. addetur, tan-  
tò efficacior evadet.

Ex ijs verò quæ interea externè admota  
ventriculum calefacere valent, est Empl.  
mastibinum, de tacamach. Schræd. diaphæ-  
nic. calidum, stomach. Mynl. Ol. stomachi-  
cum Craton. mastich. nucifæ, menth. ab-  
synth. bals. indic. & similia, quæ cum ad-  
ditione ceræ etiam in unguenti consisten-  
tiā redigi possunt. Item sacculi ex sto-  
machicis, præcipue herba. menth. & ab-  
synth. parati; crusta panis vino forti insula  
& cum aromat. perspersa &c.

3tiò licet etiam utramque partem cu-  
rare per sola externa, adeoque dum ven-  
triculo externè prospicitur cum enarratis  
calidis stomachicis, hepati interea admo-  
ventur quoque superius allegata hepati-  
ca refrigerantia. Et

Et tandem 4tò si dictæ intemperies es-  
sent talitem leves, & nondum radicatæ,  
ad eōque facile corrigitibiles, posset etiam  
modus ille, quem proponit Fern. lib. I.  
Meth. Med. cap. 5. dum in ventriculo  
frigidō & hepate calido existente nunc  
calida nunc frigida usurpanda docet,  
transire: siquidem enim in nullo dicto-  
rum contrariorum remediorum usu diu  
esset persistendum, tanta inde noxa oriri  
non posset, præcipuè si pro ventriculi al-  
teratione talia eligerentur, quorum vis  
ad hepar non perveniret, imo potius c-  
molumentum, quemadmodum id vide-  
re est in acidulas ad hepatis calorem tem-  
perandum, & obstrunctiones hypochon-  
driacas sibi referandas potantibus, qui  
quia istud cum acidulis agendo ventricu-  
lum sibi nimis refrigerant, adeò, ut is eis  
etiam sensibiliter quandoque dolere in-  
cipiat, id feliciter præcavent assumptis  
intra potandum quibusdam calidis stoma-  
chicis, E. G. morsel. stomachicis, spec.  
gross. spec. aramat. ros. aut similibus.

Quem modum feliciter practicavit etiam nephriticus ille apud Jo. Crato, Consil. 9. lib. 1. apud Burnetum qui pro leniendo dolore nephritico semper ante somnum frigidam bibere assueverat, quod per id verò ventriculum sibi offendit sensiret, semper manè aliquot grana piperis integri cum fructu devorabat.

Ex quibus tandem perbellè apparet, quām dextrè liceat mediante artificiosā remediiorum electione, & astuto eorumdā in uisu dictas ventriculi & hepatis contraria intemperies, ad quorum modum & aliæ similes tractari poterunt, percurare, absque ullo inde resultante ex contactarijs indicatis incommodo.

An verò solius *cichorei sylvi*. frequens in cibis usus in corrigendis dictis intemperiebus tantum possit, ut eo solo se quamplurimos à dictis intemperiebus in integrum curatos novisse, gloriari possit Domin. Panarolus obi. 47. pentec. 3. apud Thomam Burnetum, suo loco permisso.

Cæterum si quis ulteriorem hujus processus Authoritatem, & confirmationem desideret, ei propono Aëtium Tetr. 3. sermon. 2. c. 14. ubi frigidam splenis intemperiem cum calida ventris intemperie sive ex te, sive ex effusa ab hepate in eum flava bile tali, concurrentem curaturus, ne alterutram partem per contrariorum remediorum usum offenderet, jubet vel spleni extrâ admoveri calida, & ventri econtrâ frigida, vel si per interna quis calorem ventris oppugnare vellet, rem ita instituere, ut frigida pro calidæ ventris intemperiei correctione usurpata spleni non noceant; quod quidem fieri posse putat, si præmisso mitiore quopiam Cholagogi in cibis qualite quidem moderata, sed actu calida offerantur pri- mū, postea vero eis actu & potentia frigida superingerantur, qualis est lactuca, & frigidus potus & similia; atque taliter supponit, frigida illa correctura calidam ventris intemperiem, & tamen spleni tanquam à præmissis actu calidis defenso,

non abfutura. Non frigida enim frigidū  
præsubstrata, splenem illæsum ab ijs, quæ  
postea ingeruntur frigidis, conservant, ex  
quibus os ventris corroboratur, & calida  
ipsius intemperies corrigitur. Optimum igi-  
tur fuerit postremum omnium mala punica,  
aut etiam alia, aut pira, aut quædam, quæ  
stomacho grata lunt, acceptare. Quam-  
vis tamen ego existimem quempiam non  
vanè dubitaturum, an taliter satis sit tutus  
à frigidis splen: censeo esse tamen usur-  
panda frigida, licet cum aliqua splenis  
offensa, ratione magis urgentis calidæ  
ventris intemperiei. Vidimus siquidem  
persæpe tales, qui scyrrholo erant splene,  
aut saltem à frigidis & crassis humoribus  
obstructo, & tamen febribus acutis labo-  
rabant, quibus nisi neglecto saltem quo-  
ad interna remedia splene, cum frigidis fu-  
isset succursum, infallibiliter impegiſſent;  
ut adeò indubium sit, in tali casu calidam  
intemperiem cæterarum partium esse pri-  
mariò respiciendam, & usurpanda frigida  
et si de se spleni potius nociva, quam

con-

conducentia: ne splenis frigiditas, & obstruc<sup>t</sup>io tamen per id adeò intendatur, licere eum per calida externè admota defendere.

## CAPUT VI.

*De complicatione obstructionis splenis  
cum tussi ab acri & tenui defluxione  
dependente.*

**O**ccasione rectè jam memoratae splenis frigidæ intemperiei mihi occurrit illa complicatio, quam allegat idem ipse Aëtius Tetrab. 3. sermon. 2. c. 15. quæ nimirum inter splenis ab humoribus frigidis, crudis & crasis dependentem obstructionem, & tussim ab acri & tenui à capite defluxione ortam quandoque simul concurrentes intercedit. In tali enim casu quoque arduus est processus, eo, quod splenis obstructioni calida potius & attenuantia, atque deobstruentia debeantur, calidæ verò defluxioni, & tussi ab ea dependenti frigida, incrassantia, & condensantia, quæ duo sibi sunt

COR-

contraria, consequenter simul stare non possunt. Verum difficultatem istam solvit ipse memoratus Aetius, distinguen-  
do nimirum inter defluxionem pulmoni-  
bus exulcerationem intentantem, atque adeo valde urgentem, & inter defluxio-  
nem leviorem aliquam, & tale quid non minantem, adeoque non multum urgen-  
tem. In primo casu dicit cum internis  
saltem defluxionem esse respiciendam,  
adeoque exhibenda talia, quae peccanti-  
um humorum acrimoniam obtundere,  
caliditatem attemperare, & tenuitatem  
incrassare, viasque per quas talis defluxio  
contingit, condensare valent, qualia sunt  
in specie, uti allegat, quae ex papavere  
conficiuntur, sive intus exhibenda, sive  
externè capiti cum aceto rot. & ol. rot.  
admovenda, spleni verò saltem cum ex-  
ternis attenuatorijs esse prospiciendum.  
In secundo casu verò à similibus abstinen-  
dum censet, eò, quod defluxio illa tan-  
tum non urgeat, ut Medicum cogat ad  
dictorum refrigerantium, & inspissanti-  
um,

um, frigidæ splenis obstructioni noxiōrum usum. Vnicam Theriacen tamen recens cum opio paratam censem esse ta-lem, quam, etsi calida sit, adeoque quo-ad hoc calidis illis defluxionem cauſanti-bus humoribus noxia, liceat in tussienti-bus, quibus simul splen affectus est, in potu exhibere. Procul dubio propter opium acribus defluxionibus dicatum, at-que adeo eas interea, dum cætera calida spleni oppitulantur, simul & primariò relpiciens.

## CAPUT VII.

*De Complicatione inter pleuritidem, &  
ei quandoque supervenientem diarrhæ-  
am intercedente*

PLeuritidi, quæ est inflammatio nien-  
branæ costas succingentis, vel muscu-  
lorum intercostalium internorum vel ex-  
ternorum, cum febre continua, dolore  
lateris pectoris, tussi, diffīcili respira-  
tione, & pulsu duro, frequenti, ac serra-  
to quandoque diarrhæa, seu alui fluxus  
super-

supervenit, teste Hip. 6. aph. 16. pleuritide, aut peripneumoniâ detento alui profluviu[m] superveniens matum. In tali casu est etiam ambigua curatio, eò, quòd alui fluxus pro sui curatione desideret astringentia remedia, quæ verò materia pleuritidem causantis resolutioni, & per sputum evacuationi noxia sunt, utpote materiam illam potius inhibentia, incrassantia, & ad reiectionem ineptam redditia, ac vias ipsas, per quas illa reiici deberet arctiores facientia. Quid ergò in tali difficultate agendum? Si diarrhæam solam respicias pleuritis funesta interret; si pleuritidem cures, & diarrhæam negligas, diarrhæa, uti ex allegato aphorismo patet, & accidit id etiam primò ante triennium famoso cuiquam Soc. IESU Prædicatori, ægrum necabit. Si verò utrumque simul respicias, remediorum oppositio tibi felicem eventum negabit?

Syrupum Myrtinum quidem proponit Lazarus Riverius, cap. de pleurit. & cum expectorationem promovere, & simul

mul aluum sistere dicit, quem etiam feliciter se in fæmina pleuritica cum tali alui fluxu expertum scribit Joannes Heurnius ad aph. Hip. 16. Sect. 6. Longè certius & tutius tamen puto processurum eum, qui non reprobato isto syrupo curam juxta nostra fundamenta ita instituerit, ut remedia pleuritidi debita exhibeantur internè, ea verò, quæ aluum cohibere valent, usurpentur externè. Atque adeò dum internè exhibentur pleuritidi appropriata, qualis in specie est divinus ille Mynsichti pulvis pleuriticus ex aqua papau. er. & card. mariæ propinatus, ac externè pectori inungitur sequens mihi familiarissimum unguentum :

R. ung. pector.

anadyn. aa. dr. vij *sem.* cymine  
subtilissimè pulverizati drach. i M.  
f. ung. ter quotidie calidè in-  
ungendum.

Cui superponatur quoque mihi familiare,  
& quidem ex Riverio alicubi defum-  
ptum cataplasma confectum ex farina  
*sem.*

*sem. lini, cæpis sub cineribus assis, lapone, & melle.* Dum ista, inquam, & similia sic pro pleuritide aguntur, possunt pro alui cohibendo fluxu interea extia ventri clysteres injici primò non nihil abstegentes, qualis est :

R. decoct. bord. excort. cum ros. rub. mj facti lib. j vitel. ouor. num. ij M. f. clyster.

Quem quidem Galenus & ex eo Riverius abstergere, & astringere dicit, postmodum verò etiam adhuc magis astringentes, sed isti in parva quantitate injici debent, ut nimirum diutius retineri, adeo que efficacius astringere possint.

Ventri etiam & lumbis possunt eodem tempore simili virtute, astringente scilicet, pollutia inungi, quale est ol. nucistæ expressum, mastichinum, myrtin. cdon. Item ung. comitis. Empl. diaphænic. Cataplasmata ex herbis astringentibus in vino nubro styptico decoctis parata & similia. Atque taliter fiet, quod & pleuritidi satisfiat, & alui fluxui, & tamen per contraria remedia nulli noceatur.

Vbi

Vbi tamen advertendum non omnem  
alui fluxum, qui pleuriticis accidit, esse  
adecò funestum, ut specialem sui respe-  
ctum habendum velit, sed eum solùm,  
qui jecore, & ventriculo ob maximam  
inflammationem in consensum tracto,  
aut viribus jam valde prostratis, accidit.  
*Si enim pleuritis adeò magna non sit, in-*  
*quit Riverius, & in corpore contingit mul-*  
*tà cacockymia laborante, alui fluxus inter-*  
*dum salutaris esse solet, præsertim si quædam*  
*concoctionis signa præcesserint.* Et propte-  
rea in tali casu sufficit se pleuritidi soli ac-  
commicare: non tamen tunc facile pro-  
pinandum ol. lini alias etiam in pleurite  
expertissimum, ne nimirum per vim ejus  
laxativam adhuc largiori, consequenter  
facile noxiæ diarrhææ occasio detur.

## CAPUT VIII.

*De Complicatione, quæ inter pleuriti-  
dem & conjunctam febrim ratione re-  
frigerantium intercedit.*

**O**ccasione pleuritidis antecedente ca-  
pite memoratae occurrit quoque ea  
R com-

complicatio, quæ ratione refrigerantium à febre indicatorum, sed pleuritidi ex eo noxiorum, quòd refrigerantia materia peccantis concoctioni, & ejus per sputum rejectioni obsint, accidit. Ut propterea tutò tamen cum ijs procedatur, distinctio inter unius & alterius affectus constitutionem, & inter materiam pleuritidem caulantem facienda est, num nimirum ea biliosa sit, & tenuis, vel potius pituitosa, adeoque crassa, & viscosa. 2dò an febris conjuncta acuta sit valde, vel saltem mitior? ac tertio an morbus sit primò in principio, adeoque materia primò sit affluens, vel jam ulterius progressus, & materia, ut ita dicam, jam influxa? si primum, materia seu sanguis pleuritidem causans nimirum est biliosus & tenuis, febris valde acuta, & pleuritis primò in principio, adeoque materia peccans nondum parti affectæ omnino impacta? tunc moderatus refrigerantium usus transire potest, adeoque cum Rivo ad sanguinis ebullitionem & æstum qua-

quadamtenus compescendum, fluxio-  
nemque sistendam bis aut ter de die de si-  
mili julapiò cum fructu propinari:

R. aq. papau. rhead. unc. iv syr.  
viol. vel ejusdem papau. unc. j sal.  
prunel. dr. j M. f. julapium.

Præsentibus vigilijs vesperi ante somnum  
etiam emulsiō ex sem. 4. frig. maj. papau.  
alb. & lactucæ cum decocto bord. & liquir-  
facta, & cum syr. violat. dulcificata exhibi-  
beri; cum ulterioribus tamen narcoticis,  
in quibus quoque ipsis quipiam sunt  
quandoque valde temerarij, cautissimè  
procedendo, neque ad eorum usum una-  
quam deveniendo, nisi in maxima néces-  
sitate, dolore nimirum intentissimo,  
tussi inani & molestissimâ, atque materiâ  
insuente tenuissimâ, & tunc quidem fal-  
tem in minima, dosi qualiter fecit idem  
Riverius, de laudano opiatō in tali casu  
falte granum unicum per vices exhibe-  
ndo.

In casu secundo verò, seu ubi sanguis,  
seu humor peccans est pituitolus, & cras-

sus, febris mitior, & pleuritis jam principium transgressa, atque adeò etiam ipse humor peccans parti affectæ jam impensus, à multis refrigerantibus, & figentibus, tutius est abstinere, & ad pleuritatem potius ut urgentiorem primariò curam dirigere, atque adeò uti præter specifica priore capite enarrata, aut alia similia, potius incidentibus, & attenuantibus atque resolventibus, quam dictis refrigerantibus, & materiam expuendam ad rejectionē contumaciorem reddentibus.

## C A P U T I X.

*De Complicatione inter hæmoptoism,  
& tussim à pectoris perfrigeratione de-  
pendentem intercedente.*

**P**lanè hactenus allegatorum sortis, & vel propterea hic quoque memorandus, videtur esse etiam processus ille, quem in curando hæmoptoico illo adolescenti, cuius ipse meminit in Meth. Med. lib. 5. c. 13. servavit Galenus: Alteri verò adolescenti, cui non ex destillatio-

ne,

ne, sed ex refrigeratis spiritūs instrumentis  
orta tussis fuerat, cum sanguinem & ipse ad  
dimidiam heminam reiecerisset, statim venam  
incidi, ac bis eodem die ex ea sanguinem de-  
traxi: deinde rursus postridie bis, sed artu-  
um frictione, & vinclaturā priore die usus,  
ad vesperam dedi pharmacum nostrum, quod  
diapermaton dicitur. Secundo die post al-  
teram detractionem imposui toti pectori ce-  
ratum, quod ex thapsia conficitur: mox ve-  
speri, ne supra modum calfaceret, id aufe-  
rens. Tertio die rursus ad tres horas impo-  
sito, hominem lavi &c. In qua quidem  
curatione istud ad rem nostram adverte-  
re licet: quod pro primò nimirum Gale-  
nus non ad quemcunque nominatorum  
affectionum curam primò & primariò dire-  
xerit, sed ad hæmoptoisin solùm, tan-  
quam vi Hippocratici illius: 4. aph. 25.  
sanguinem superne quidem efferrī, qualis-  
cunque sit, malum, magis urgentem, &  
propterea à sanguinis missione revulsoria,  
frictionibus & ligaturis curam inchoavit,  
diapermatumque, quod somniferum, &

siccans est medicamentum sub vesperum exhibuit, & altero primò die post alteram sanguinis detractionem externè pectori ceratum ex thapsia pro corrigenda frigida illa pectoris intemperie applicuit. 2dò quòd prævideret calefacientia pro frigida illa partium spiritalium intemperie corrigenda intus usurpata sanguinis excretioni obesse posse, eis quidem usus est, cernato scilicet de thapsia, sed solum externe, sperans ea taliter usurpata non ita obfutura, ac si intrò exhiberentur. 3tiò, quia coniceret ea diutiùs in pectore, etiū externè solum, relicta partem affectam nimium caleficere posse, adeoque sanguinem fluxibiliorem reddendo, & venarum orificia referando novæ sanguinis excretioni occasionem dare posse, ea admovit quidem, sed diu ibidem non pernoxit, verum tamdiu solum, donec levem illam perfrigerationem corrigerent, minimè verò ulteriùs calefacerent. Et tandem quartò quoniam adverteret, causam admota suæ intentioni nondum fas-

tisfc.

tisfecisse, illa iteravit, tertio die nimirum rursus idem ceratum ex thapsia pectori admovendo, quò nimirum saltem iterato usu illud tutò obtineret, quod aliàs, sed cum periculo obtainere poterat unâ vice. Quâ quidem ratione, quàm bellè noxam illam, quam ex calefacientium ad tollendam illam pectoris perfrigerationem usu timere poterat, evitaverit, nemo non videt. Quod ipsum fecit & in alijs passim in suis scriptis reperibilibus casibus, quos verò brevitatis gratiâ lumbentes prætermittibus, sperantes ista, & quæ adhuc imposterum de Complicacionibus, quæ in specie mulieribus accidunt, afferemus, sufficientia fore, ut quis in nostram sententiam eat, nullum melius complicatos affectus ritè curandi medium esse, quàm artificioſam in remedijs electionem, & astutum eorundem remediorum usum.

## CAPUT X.

*De Naturali Mulierum constitutione  
atque affectibus cum menstruis, gra-  
viditate, & puerperio complicatis.*

**A**ntequam de affectibus cum Menstru-  
is, graviditate, & puerperio, sub quo  
nomine non tam partus tempus, quam  
id, quo lochiorum expurgatio durat, imò  
ipiam lochiorum expurgationem intelle-  
ctam volo, complicatis sermonem exor-  
diar, sciendum est cum sexu muliebri,  
ex speciali DEi providentia sic à natura  
constitutum esse, ut postquam supremus  
ille rerum omnium Effector DEUS, an-  
tequam hominem suum illud verum, &  
unicum prototypon è limo terræ juxta il-  
lud; Genet. c. 1. *Faciamus hominem ad*  
*imaginem, & similitudinem nostram,* pro-  
duceret, jam eum ob tot in eodem l. I.  
Gen. cap. 3. ver. 16. & 17. breviter ex-  
pressas ærumnas, tantásque tum elemen-  
torum, & humorum humanum corpus  
constituentium necessarias actiones & re-  
actio-

actiones sui invicem, & consequenter totius constituti destructivas, tum etiam ab extra occurrentes vicissitudines ultra Job 14. cap. definiti sunt dies hominis, & numerus mensium penes te est, terminos ejus posuisti, quos non præteribit, determinatum tempus naturaliter in individuo durare non posse, prævideret, neque eum tamen omnino interitum vellet, de alio medio, quò is saltem in specie conservaretur, solitus fuit: & propterea dum produceret hominem inter cæteras, quibus eum præ cæteris creaturis largissimè dotavit, prærogativas, eundem etiam ad generandum, quo quidem medio se id, quod intendebat, ejus nimirum conservationem obtenturum præviderat, aptum esse voluit. I. Gen. cap. I. verl. 28. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite, & multiplicamini, & replete terram &c. Et propterea eum inter cætera ad tale opus requisita etiam lemen, quod in generatione fætùs teste Daniel. Sennerto cap. de generat. efficientis primariò

rationem subiret, intrase producendi virtute præditum esse voluit, insuper & famellam ei, quæ materiam, seu subjectum ab Arist. lib. de generat. ad generationem requisitum suppeditaret, adjunxit. Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adjutorium simile sui. Gen. cap. 2. quam propterea specialiter præterquam semine, etiam sanguine tanto, quantus non solum ejusdem incremento necessarius esset, verum suo tempore quoque fætui generando, & nutriendo materiæ loco sufficeret, abundare voluit. Et hic quidem sanguis Medicis communiter menstrui, seu mensum nomine venit, eò, quod extra gestationis, quo fætui in utero efformando, & enutriendo, & lactationis tempus, quo is ex utero per vata epigastrica in mammas delatus, ibidemque in lactis substantiam conversus eidem fætui etiam extra uterum existenti, donec ulterioribus alimentis assumendis idoneus reddatur, sustentando destinatus est, per quælibet menstrua intervalla, extra utrum,

rum, ut superfluum quid excerni soleat.

Hæc ipsa tamen excretio in quâcunque ætate non contingit, sed in ea solùm, in qua partes genitales in eam jam molem, & perfectionem adoleverunt, quæ fætui concipiendo, & efformando idonea reperitur, quod plerumque quidem circa 14. ætatis annum primò contingere solet, nunc tamen citius, nunc tardius; & continuat plerumque ad annum circiter 45. vel etiam 50. antecedens verò, & posterior ætas superfluo sanguini generando inepta censemur: & antecedens quidem, ob corporis tunc plurimo nutrimento indigentis incrementum, consequens verò ob nativi caloris vix pro sua necessitate sufficientem sanguinem generantis penuriam. Quamvis Hünérwolfius in Ephem. N. C. dec. 2. Anni 9. obl. C. adducat filiolam, cui mox à nativitate menstrua fluxerunt. Quod ipsum observavit & Cummenus Ephem. N. C. dec. 1. An. 3. obl. 114. & apud eum Alber-

tus

tus Magnus, & Theod. Kerckringius. Hercules Saxon. verò, & Jacobus Suterus quinto àtatis anno. Fernelius, Bartholinus, Savanarola octavo & nono. Tulpius quarto, & alij alijs àtatis annis. Quemadmodum alij eos etiam post annum 50. fluxisse notarunt, sicut rectè jam dictus Cuiñenus. Sed ista insolita sunt.

Hoc fluxu menstruatim, & debitè procedente fæmina ut plurimum sana degit, eo verò secùs se habente malè se habet mulier. Hip. 5. aph. 57. *Menstruis abundantibus morbi eveniunt, & subsistentibus accidunt ab utero morbi.* Cujus causam, & generandi modum videtur idem ipse in lib. de morb. Mul. his verbis expressisse: *Sanguis in uteros confluit, veluti effluxurus, cùm igitur osculum exitiū non fuerit apertum, sanguis autem magis influxerit propter cibos, & augmentum corporis, tunc sanguis non habens effluxum præ multitudine resilit ad cor, & septum transversum.* Addo Ego, & ad reliquas corporis partes. Hinc tot Chlorotes, asthmata,

mata, febres acutæ, aphonyæ, cachexia, hydropses, capitis dolores, deliria, arthritides, suffocationes, cordis palpitationes, anxietates, lipothymiae, convulsiones, & alia infinita abundè ab eodem Hip. l. I. de morb. Mul. memorata, & rursus novissimè à Luca Schräkio in Scholio super Hellwigij observationem 55. his verbis expressa : Quam verè in Epist. de Nat. hum. Democritus ad Hippocratem scriperit : *Gravis Calamitas sexcentarum ærumnarum mulieri auctor uterus, indies misellæ experiuntur, impri- mis si abundans in corpore sanguis consuetà per uterus viâ à natura expurgandus, vel justò parcior effluat, vel plane subsistat. Quas enim non malorum turbas excitat? ipsam cordis invadit regiam, & nobilissimi usus cerebrum miris modis infestat, atque per- turbat.* Hinc Cachexie infaustæ, cordis crebræ palpitationes, periculose lipothymiae, & præpertim horrendæ sæpius epilepsiae. Jam dictum fluxum quamprimum quæpiam experta est, jam te, nisi aliud quid inter- sit,

sit, ex natura ad concipiendum aptam  
abundè testatur, & licet teste Daniele Sen-  
nerto cap. de generat & de fluxu men-  
struo quæst. I. & apud eum Guine-  
rio, Brassauolo, Rondeletio, Trincavel-  
lio &c. Imò ipsâ experientiâ possibilè sit,  
aliquam hunc fluxum nunquam adhuc  
expertam concipere, is ei tamen mox à  
conceptu saltem intra uterum venire de-  
bet, aliàs enim fætus acquisitis à sperma-  
tica substantia primis saltem & rudibus  
quibusdam lineamentis, ex quo ulterius  
incrementum sumeret, non haberet.  
Hoc igitur habito, si fæmellam cum ma-  
re rem habere, ejusdem semen intra ute-  
rum excipere, retinere, fovere, atque  
innato suo calore latentem in semine fæ-  
tum formandi vim plasticam excitare  
contingat, tunc ea concipere, seu im-  
prægnari cenletur; quam quidem con-  
ceptionem nos in hoc tractatu sub im-  
prægnationis, seu graviditatis nomine  
venditabimus, neque tamen solum il-  
lum Conceptionis actum per eam intel-  
ligen-

ligentes, sed totum à conceptione usque ad partum gestationis tempus, quod quidem ut plurimum in nonum usque mensē fere extendere solet; citius id tamen finiri, aut ulterius protrahi, quemadmodum alias dicetur, inauditum non est.

Totum hoc tempus natura in fætum ritè efformandum, & ad certam quantitatem enutriendum impendit, quibus acquisitis fætus ipse exitum affectare, calcitrando membranas, quibus inclusus est, rumpere, & sic in lucem prodire incipit, quem mox præter secundinas, de quibus alio loco, uti & de ulterioribus partūs circumstantijs, ingens sanguinis copia subsequitur, lochialis fluxus nomine apud Medicos celebris, & quandoque ad tertiam, vel quartam, & ultra septimam juxta Hip. illud, de Nat. pueri: Nam & purgatio fit à partu ut plurimum, in fæmellis diebus quadraginta & duobus: atque hæc tardissima est, & perfecta. Vacavarit autem periculo, etiamsi etiam vi- ginti quinque purgatur. In masculo vero  
pur-

purgatio fit diebus triginta: atque haec tardissima est & perfecta, citra tamen periculum fuerit, etiamsi in viginti diebus mulier purgetur. Se si extendens, primis quidem diebus terè sub specie sanguinis, postea verò sub forma aliorum humorum, & ichorum nunc viridium, nunc lividorum, nunc etiam alterius, & non sine factore coloris, quo quidem ex fluxu lælo non minora, quam ex præposterioris menstruis exoriuntur mala, quemadmodum id rursus legere licet in Hip. de morb. Mul: Si verò paulo pauciora, quam oportet prodierunt mulieri puerperij purgamenta, velut uteris angusto ore præditis, ac distortis, aut aliqua pudendi pars valde fuerit conclusa ab inflammatione, mulier acutè febrit, stomachi dolore vexatur, & dolet totum corpus, & molestè fert, & ad articulos manuum, crurum, & lumborum dolor procedit.

Ex quibus demum omnibus sic se habentibus ultimatum abunde patet, sexum muliebrem ob menstruum, cui obnoxius est,

est, fluxum, graviditatem, & puerperium, quamplurimis, præter eos, quos aliias ex alijs causis viris communes patitur, subiectum esse affectibus.

Porrò, ut ad propositum nostrum tandem deveniamus, plerique tales affectus, tunc eis accidentes cum aliquo ex prædictis, menstruis scilicet, graviditate, vel puerperio complicationem habent, sicut id elucescit ex remedij ad eorundem curationē plerumque necessarijs. Sic plerique affectus, ex quacunque etiam causa orti vel venæ Sectionem ad sui sublationem desiderant, vel purgantia medicamenta, vel diuretica, vel astringentia, vel refriegerantia, vel similia, quemadmodum id te praxis quotidiana pro indicationum diversitate abundè docebit: ista verò mulieribus in memoratorum aliquo statu constitutis sunt nociva: Sic venæ Sectionem in prægnantibus suspectam reddidit ipse Hip. §. aph. 31. *mulier in utero ferens sedē venā abortit.* Purgantia medicamenta verò 4. aph. 1. & 5. aph. 29.

prægnantes purgabis, si materia turgeat  
 quadrimestres, & usque ad septimum men-  
 sem, sed has parcius: juniores autem & se-  
 niores cautè vitare cavebis. Sed numquid  
 toties occurruunt in prægnantibus affe-  
 ctus, qui propter præsentem plethoram,  
 aut febrim aliquam valde acutam venæ  
 Sectione indigent, propter adjunctam  
 verò simul cacochymiam purgatione?  
 Eodem modo numquid in prægnantibus  
 læpe urina supprimitur, quæ diureticis  
 opus habet, quæ verò propter eam, quam  
 cum hæmagogis habent affinitatem, abor-  
 tum facilè causarent? Pariter per læpe  
 paulò post partum diarrhææ puerperis,  
 aut dysenteriæ eveniunt, quæ astringenti-  
 bus curantur; quæ astringentia verò, eò,  
 quòd lochialem fluxum impedire nata-  
 sunt, insecurè adhibentur. Idem dic de  
 refrigerantibus, læpe à tunc accidentibus  
 febribus indicatis, à lochijs ècontrà, eò,  
 quòd sanguinem incrassando, coagulan-  
 do, & quasi figendo eorundem fluxum  
 facilè impediunt, fere quoque reprobatis.

Diz-

Diæta denique ipsa saepe à præsentibus morbis acutis prægnantibus supervenientibus juxta Hip. 16. aph. 7. ubi *morbis peracutus est*, statim extremos habet labores, & *extremè tenuissimo viatu uti necesse*, indicatur tenuis, quæ verò utpote fætui necessarium alimentum subtrahens, seu potius sufficiens non subministrans omnino inconveniens est. Clarum ergo est affectus mulieribus menstruatis, gravidis, & puerperis evenientes, cum menstruo eorum fluxu, graviditate, aut puerperio plerumque complicationem aliquam habere, quemadmodum id in sequentibus pluribus videbitur.

## CAPUT XI.

*Quot modis morborum cum menstruo  
fluxu concurrentium Complicatio  
contingit?*

A ffectus cum menstruis, graviditate, aut puerperio concurrentes esse plerumque complicatos, ex rectè antegresso capite habemus: nunc ergo ordo

postulat, ut quótnam modis talis complicatio contingat in præsenti capite disciamus, & in specie quidem cum mensibus.

Rodericus de Castro lib. I. de morb. mul. p. 2. c. 13. affectuum, qui cum menstruis complicantur sex modos proponit.

Primus est, cùm morbus invadit menstruis imminentibus.

2dus, cùm menses ob morbi invasionem inopinatè irrurant, & ante debitum tempus.

3tius, cùm solito quidem tempore veniunt, sed inconvenienter ad tempus.

4tus, cùm mensibus suppressis, remoratis, aut diminutè stillantibus morbus aliunde supervenit.

5tus, dum præexistens morbus à suppressis aut remoratis mensibus intenditur.

6tus, dum præsente morbo menses stillare incipiunt.

Qui modi tamen commodè ad quatuor mihi reduci posse videntur: si nimirum

rum dicatur, quòd primus modus sit, dum morbus quispiam supervenit mensibus jam jam instantibus.

Secundus, dum mensibus jam actu fluentibus morbus supervenit.

Tertius, dum morbo actu existente menses superveniunt.

Et tandem quartus, dum morbus menstruis suppressis supervenit.

Exempla horum modorum si pro maiori rei claritate requiris? finge tibi pro primo modo morbum quempiam rectè circa id tempus, quo menstrua expectantur, puta duobus, tribus vel quatuor diebus autem ( quamvis raro ita determinatum typum observent, ut non aliquando pluribus diebus vel anticipent, vel postponant quemadmodum id colligere est etiam ex Aëtio & Avicenna inter unam & alteram menstruationem propterea 22. aut ad summum 30. dies ponentibus ) accidere, qui pro sui curatione sanguinis missione, & eam quidem propter summam acutiem in brachio postulet, aut

astringens aliquod medicamentum, purgans siccum: numquid, si talia in usum vocabis instantes menes interturbabis? & per sanguinis in brachio missionem quidem sanguinem jam tunc deortum verius uterum tendentem sursum revellendo, per astringentia vero eum incrassando, & ad fluxum ineptum reddendo, vasaque ipsa, per quae is effluere deberet coarctando, ac per purgantia denique naturam ab ute-ro, ad aluum divertendo? adeoque causa eris, quod menstrua tunc instantia non fluent, & per consequens, quod ob ea sic suppressa miserare patienti forte ea mala evenient, quae nos capite praecedente ex suppressione mensium evenire solere, dimicimus.

Quod ipsum puta, & cum longè maiori prærogativa de modo secundo, si nimis in mensibus actu jam fluentibus morbum quempiam, qui pro sui curatione aliquod ex memoratis remedij postularet, supervenire contingeret; in tali videlicet casu dicta illa remedia adhuc magis

gis esse suspecta, tanquam naturam adhuc  
evidentiū in cursu suo naturali interturbantia, quām ubi mentes nondum ad-  
sunt, sed primō expectantur.

In modo tertio, si pro præexistente  
morbo universalia remedia antequam  
mensis supervenerunt celebrata jam fue-  
runt, adeoque nihil ratione morbi am-  
plius agendum superest, quod superveni-  
entibus mensibus obesse posset, tunc dif-  
ficultas quidem ratione supervenientis  
menstrui fluxus nulla est, dummodo flu-  
xus ille sufficiens sit, quin imò, talis flu-  
xus saepe etiam salutaris esse solet, & mor-  
bi illius totalem solutionem promovere,  
verū difficultas est in tali casu, ubi men-  
ses mox in morbi principio, & antequam  
universalia illa remedia fluxui illi noxia  
celebrata fuere, superveniunt. Item si  
fluxus ille paucus nimis sit, aut sufficiens  
quidem naturæ naturaliter constitutæ,  
non verò ut ægrotanti, seu sufficiens qui-  
dem naturæ, non verò morbo adhuc lar-  
giorem sanguinis evacuationem, quām

per illum fluxum fiat, postulanti. In tali nimirum casu, si remedia illa morbo quidem conferentia, sed mensibus noxia usurpes, morbo quidem proderis, ast nocebis mensibus, consequenter aliorum malorum, quæ mensium suppressio nem consequi solent, causa eris: si vero ea intermittas, morbus ipse forte ægrum interimet.

In modo quarto, si quidem Methodus Medendi ordinaria juxta suo loco dicta omnem curationem à causæ oppugnatione ordiendam suadet, hæc autem sunt suppressi mentes, utique hos referare, & provocare foret necesse: Sed quid si aut ipse concurrens morbus talia remedia pro sui curatione indicet, quæ dictæ mensium provocationi sunt contraria, aut ipsa mensium provocatione talibus indigeat, quæ concurrenti morbo adversantur? quæmadmodum id fieret, si ex suppressis mensibus contingere dyenteria, quæ astringentia, & sanguinem incrassantia postulat, quæ vero suppressos men-

mentes non solum non provocant, verum eorum suppressionem obstinatem reddunt; aut si ex suppressis mensibus febris accenderetur, quæ pro sui curatione refrigerantia desiderat, mensibus econtra calidis reterari cupientibus.

## CAPUT XII.

*Circa quæ potissimum remedia continent morborum cum mensibus Concurrentium Complicatio?*

**A**ntequam, qualiter sit se ex praecedente capite allegatis difficultatibus extricandum, proponatur, conveniens videtur, prius, circa quænam remedia morborum cum mensibus concurrentium complicatio communius contingat, determinare, ut taliter nimirum occurrente in menstruatis alicujus talis remedij indicatione, Medicus cautior esse recordetur.

Respondeo verò eam potissimum contingere circa jam praecedente capite memorata remedia, venæ lectionem vide-

licet, purgantia medicamenta, astrin-  
gentia, diaphoretica, & refrigerantia.  
Ratio est, quod ista potissimum sint talia,  
quæ in menstruatis usurpata menstruo flu-  
xui obesse poslunt; & venæ Sectio qui-  
dem, si ea in superioribus corporis parti-  
bus celebretur, sanguinem ad uterum  
tunc tendentem ad superiora revellendo:  
purgantia ab utero ad alium divertendo:  
quod ipsum puta & de vomitorijs ad su-  
periora divertentibus: astrigentia san-  
guinem incrassando, & vias per quas is  
effluere deberet coarctando: diaphoretici-  
a partim homores ad ambitum corporis  
divertendo, partim verò scrofitates ad  
sanguinis fluxibilitatem necessarias ablui-  
mendo, quod ipsum ferè puta de diure-  
ticis propriè sic dictis: ac tandem refrige-  
rantia sanguinem condensando, & quasi  
figendo, viasque per quas is effluere de-  
beret coarctando. Quotiescunque igi-  
tur horum alicujus in menstruatis indica-  
tio occurret, de complicatione sollici-  
tum oportebit esse Medicum.

## C A P U T   X I I I .

*De legitimo remediorum, circa quæ con-  
tingunt in menstruatis Mulieribus  
complicationes, usu.*

**S**iquidem igitur juxta hactenus dicta af-  
fectus Menstruatis accidentes pluribus  
modis cum menstruo fluxu complicari  
solent, circa plura etiam remedia talis  
complicatio contingit, de singulis ordi-  
ne est dicendum, qualiter nimirum  
cum hoc, qualiter cum illo occurrente  
ejus indicatione, & qualiter in hoc, qua-  
liter in illo complicationis modo proce-  
dendum, quò succurendo affectui tale  
remedium indicanti, ratione mensium  
tamen non impingatur? Et Respondeo  
quidem, quòd, si in primo Complicatio-  
nis modo, ubi nimirum mensium fluxus  
proximè instat, venæ Sectionis aliqua oc-  
currit necessitas, seu indicatio, eam qui-  
dem si instantes menses respicias, potius  
in tali fore, quòd natura vergit, celebra-  
dam, quam alibi, quòd si tamen affectus  
ille,

ille, propter quem ea celebranda est, urgens valde sit, quales sunt morbi valde acuti, febres videlicet ardentes, & adhuc magis anginæ, pleuritides, phrenitides, apoplexiæ &c. si valde acreverunt, eam nihilominus in superioribus potius, quam in inferioribus celebrandam, eò quod sanguinis in partibus superioribus emissionis indicatio & necessitas in tali cau urgen-  
tior sit, quam quæcunque prohibitio ab instantibus mensibus desumpta. Ne per id tamen revulsus ad superiora sanguis forte instantes menses impedit, sequenti modo præcavere quodammodo licebit: antequam nimirum, & dum vena in bra-  
chio tundetur, fœmora & crura deorsum  
versus pannis calidis fricabuntur, lig-  
buntur, & ijsdem interius cucurbitulæ  
siccaæ affigentur, & posteâ, represso nimi-  
rum jam majore dictorum affectuum im-  
petu, si menses non dum venerint, vel  
venerint quidem, ast in nimis parva quan-  
titate, saphena quoque pedis aperictur.  
*Quod si necessè sit, ob vim morbi, venam*  
*secca-*

seccare instantibus purgationibus, vinculo  
adhibito ad crura seccare licet in brachio,  
ut postea soluto vinculo scarificantur tali.  
Andr. Cæsalpin. in speculo Artis Med.  
l. 8. c. 4. Non ignoro quidem Rod. de  
Castro lib. 4. de Morb. Mul. c. 9. & alios  
huic nostræ conclusioni esse contrarios,  
censeréque in instantibus mensibus nun-  
quam esse seccandam venam in brachio,  
etsi in morbus acutus sit, qui illam exigit,  
nisi mentes longius adhuc, & saltem octi-  
duo circiter absint, plenitudo maxima  
adsit, morbus acutus, & fæmina non  
possit tam confertam evacuationem ex  
pede sufferre, quam morbus postulat;  
alias verò si consuetum menstruationis  
tempus vix triduo, uti determinat me-  
moratus Rod. Castr. aut quotriduo di-  
stat, eam convenientius in pede institui,  
etsi morbus etiam sit ex numero acuto-  
rum, quod multò deinde magis facien-  
dum, dum morbus acutus non est.

Verùm enim verò, quidquid censeant  
isti, ego judico se urgentiori semper esse  
accom.

accommo<sup>d</sup>andum, quoniam igitur morbi acuties, qualis est superius enarratorum affectuum urgentior supponatur, quām sint instantes mentes, dictam in brachio venæ Sectionem dissuadentes, existimo illi potius, quām instantibus mensibus se esse accommodandum, adeo que sanguinem potius ex brachio, quām pede esse mittendum. Probatur verò urgentia illa major ex dictorum affectuum, & instantium mensium ad invicem comparata natura, actionibus, quas laudunt, & facultate, quam afficiunt, quā singula, si exactè perpendantur, longè majoris sunt considerationis in dictis affectibus, quām in proximè instantibus mensibus. Et si majoris considerationis sunt respectu mensium actu jam fluentium, quemadmodum id postea ex Lazaro River. probabimus, & sentit illud ipsum etiam Sacut. Lusit. de Medic. princ. Hist. l. i. Histor. 77. quantò majoris considerationis erunt, respectu mensium nondum fluentium, tanquam quos represso fortè

fortè nonnihil per sanguinem ex brachio missum tali morbo revocare per sanguinis subjunctam emissionem semper adhuc liberum existit. Accedit, quod adducta illa circa crura tempore sanguinis ex brachio missionis cautela, sanguinis alias jam tunc quidem deorum tendentis ad superiora raptum etiam multum impeditre possit. Atque adeò adhuc manet statutum, in morbo quoipiam valde acuto in instantibus proximè menibus accidente, sanguinem primùm ex superioribus potius venis, quam inferioribus esse mittendum.

Aliud esset, si affectus ratione cuius vena esset incidenda adeò acutus & urgens non esset, sed moram permittens, quales sunt aliæ febres simpliciter acutæ continuæ, vel planè nec acutus, satiùs tamen videretur, fortè ob præsentem simul plethoram sanguinem mittere, quam menses instantes expectare, in pede potius procul dubio tunc mox sanguis esse mittendus, quam in brachio.

In alijs, ubi menses expectare tutò licet,  
corum fluxus vel expectetur, vel ex talo  
mittatur sanguis.

Purgantia censet quidem in proximè  
instantibus mensibus non esse porrigenda  
Sennertus l. 4. Prax. p. 2. Sect. 2. c. 3.  
cò, quòd talia humores ad alias partes  
tunc temporis exhibita divertant, cum  
quo contentit quidem & Roder. de Ca-  
stro. levissimorum tamen usum non om-  
nino interdicens: quod si verum tamen  
est id, quod de purgantibus quibuscum-  
que sentit Wolfgang. Höferus in Hercule  
suo Med. lib. 7. de Morb. Mul. cap. I.  
quòd corum nimirum pleraque, si non om-  
nia vim ducendi menses potius habeant,  
idque vel per se, vel per accidens, quàm ut  
corum fluxum restringerent, existimo  
corum usum occurrente necessitate non  
solum fore securum, nisi aliud quid ob-  
sit, verùm etiam valde proficuum, ut  
pote etiam ad mensium proritationem  
conferentem. Vei si quis scrupulosus in  
hoc planè sit, utatur cum superiùs citato

Roder

Roder de Castro levioribus purgantibus, quibus nec corpus commovetur, nec natura multum distrahitur, sed ea pluriē repetat, quō indicanti cacochymiae tamen latisfaciat. Quod ipsum pūta cum eodem de Castro ratione vomitoriorum, & sudorem moventium, quae si vehementiora sunt, sicut ex sententia memorati Daniel. Sennerti, si in suppressione mensium usurpentur, eam potius contumaciorē reddunt, quām ut eam referarent, ita etiam in instanti fluxu exhibita, eum ne veniret, facile, præcipue sudorifera, impedirent.

Diuretica quidem majorem cūm mēnēs crientibus communionem habere videntur, adeò ut propter istam causam eorum usum reprobet in nimio mensium fluxu Sennertius, quod si tamen de proprie dictis diurēticis & ijs fortioribus loquamur, quia serositates ad sanguinis fluxibilitatem necessarias ad vesicam derivant, censeo eorum in instantibus mensibus usum quoque debere esse quodam-

modo cautorem, nisi eis de menses simul crientibus quid addas, atque sic efficiias, quò eorum vis non solum vesicam, verùm etiam uterum respiciat, trahátque pro naturæ inclinatione vel ad vesicam vel ad uterus, vel ad utrumque simul.

In refrigerantibus etiam moderatio <sup>let.</sup> vanda.

Circa astringentia res gravior videtur, eò, quòd ista sint instanti fluxui menstruali immediatè contraria, secùs ac hactenus enarrata. Quid ergo consiliij, si rectè tunc, dum intra biduum aut triduum expectatur consuetus menstruorum fluxus, atque adeò natura jam actualiter deorum inclinat, vires valde depalcens, adeóque ad te curam trahens alui fluxus accideret? licerétnē alui illi fluxui cum astringentibus succurrere? Respondeo, quòd ita, eò quòd urgentior sit indicatio, quæ à viribus tunc periclitantibus delimitur, quam noxa, quæ ex astringentium usu metuitur. 2dò quod perlevante illo alui fluxu aliunde instantes men-

mensies vix venirent, & tamen interea vi-  
res periclitarentur, ergo, quò ijs saltem  
consulatur, cohibendus est potius alii  
fluxus cum astringentibus, quàm ut ijs  
intermissis neque mensium fluxus veniat,  
nēque alii fluxus viribus maximè infen-  
sus cohibeatur.

Accedit, quòd mensium illam eman-  
sionem postmodum cum saphænæ in pe-  
dibus apertione ( si videretur consultum )  
supplere liceret. Vel si nec hoc, una  
mensium emansio tantum damni non in-  
feret, dumodo videatur, ut illi postmo-  
dum, proximâ scilicet lunatione rursus  
legitimè veniant. Securissimè verò om-  
nium ( nisi aliud quid obstet ) videtur in  
tali calu processurus ille, qui cum men-  
ses crientibus rem priùs tentaverit, mate-  
riāmque alii fluxum causantem ad ute-  
rum, quò jam tunc natura vergit, revel-  
lere conatus fuerit, & postea primò, si  
sic res ei non successerit, ad astringentia  
devenerit; taliter enim quandoque eti-  
am puerarum diarrhæas feliciter per-

curari suo loco probabimus. Hâc etiam  
 methodo satisficeret naturæ ad uterum  
 de se tendenti, & ab eo solum sympto-  
 maticè distractæ, & tamen alui fluxui,  
 consequenter & viribus ob ejus conti-  
 nuationem periclitantibus consulteretur.  
 Neque dicas vires non minùs ex taliter  
 provocato mensium fluxu passuras: id  
 enim negatur, cò quòd mensam iste flu-  
 xus naturæ consuetus, & familiaris est;  
 alui ille fluxus verò minimè. Quòd si  
 verò fluxus ille alui admodum vires non  
 deiiceret, talerari posset, licet etiam ipsi  
 instantes menses, ne venirent, pericli-  
 tentur. Taliter enim suppressus sanguis  
 menstruus multùm obesse non posset, eò  
 quòd is secundùm sè, nisi quantitate  
 (quam verò postea per venæ in talo Se-  
 ctionem imminuere liceret) noxius non  
 sit, sed solum per accidens, nimirum ob  
 admistos ei alias heterogeneos, & excre-  
 mentitios humores unà cum eo singulis  
 lunationibus aliás per uterum expurgari  
 solitos, qui ipsi verò, siquidem in tali ca-

su per aluum mediante illo fluxu expurgarentur, damnum, quod aliàs retenti solent, inferre non possent. Vel tentetur res priùs dicto modo cum menstrua carentibus.

Multò adhuc minùs fluxui illi alui, si sanguineus esset, astringentibus foret obviandum, si vires admodum non deincepsret, neque graviora symptomata, ut intolerabiles dolores & corrosiones, aut intestinorum exulcerationem, quæ cum propterea ad se traherent, sibi habc-ret conjuncta, et si aliàs instantes menses adhuc certius ob sanguinem aliò aversum impeditret; cò, quòd per astringentia illa præsertim internè exhibita aliunde instantes menses impeditrentur. 2dò quòd dysenteria affectus talis sit, qui ob sanguinem, quem præter cæteros humores educere solet, ipsorum mensium quoddammodo vices supplere videtur, adeoque tam facilè sistendus non est, unde licet per talem fluxum revulso ad intestina sanguine menses instantes quoque, sicut

per astringentium usum impedirentur, tamen exinde mali tantum evenire non posse videtur, quantum ex utriusque subsistentia, seu cohibitione per astringentium usum procurata accideret. Et certè si teste Joaõe Hellwigio physico quondam Ratisbonensi obs. CXL. Item Thomâ Bartholino Cent. I. hist. anat. 16. Rembert. Dodonæo C. 15. obs. Med. Mercato, Braſavolo, Paræo, Aretæo, Benivenio, Nicolao Florentino, Rabbi Moyle & alijs à Schenkio lib. 4. obs. Med. & à Daniele Sennerto lib. 4. prax. p. 2. f. 2. c. II. citatis mentes per oculos, nares, mammarum papillas, umbilicum, gingivas & cæteras corporis partes innoxie tæpius depleri visi sunt, cur non illud ipsum etiam per aluum contingere posset? Imo illud contigisse ipse aliquando vidi, citra ulterius incommodum, in muliere Itala; quamvis ille fluxus, rigorosè loquendo, dyenteria dici non potuerit.

Quòd si verò dysenteria illa vires valde deiceret, procedendum cum ea esset, sicut cum alii fluxu vires depauperante, & præcipue quidem cum mentes carentibus res primùm tentanda foret, atque, si videretur, sanguis etiam, docente sic Zaccuto Lusit. In princ. Med. Hist. I. I. hist. 77. in Commentario, ex talo in eundem finem, ad revulsionem nimium illuc faciendam, mittendus esset, & postea primò, si ista non prodecessent, ad astringentium usum deveniendum.

In Morbis mensibus actu jam fluentibus supervenientibus, & sanguinis missio nem postulantibus cum Galeno attendendum venit ad sanguinis effluentis impetum, & quantitatem, quæ, si videatur morbo satisfactura, naturæ negotium totum permittendum, sin minus: tunc ad supplementum naturæ saphenæ appertione tantum educatur, quantum moribus postulare videtur. Itaque si tempore mittendi sanguinis menses moveri, contigerit, sive etiam ora venarum sanguinem

fundere solita sint reclusa, si inspecto fluen-  
 tis impetu, ipse satas fore videbitur, qui  
 solus, quod requiris vacuet, naturae rem  
 omnem permittes: sin minis, tantum ipse  
 detrubes, quo ex conjunctis ambobus perfi-  
 ciatur, quod postulas. Et hoc ipsum qui-  
 dem solùm in affectibus minis acutis, &  
 moram patientibus, aut acutis quidem  
 valde, & de se moram non patientibus,  
 sed nondum adeò suum incrementum al-  
 fecutis. In peracutis vero, uti sunt fe-  
 bres maximè ardentes, & evæ anginae, pleu-  
 ritides, phrenitides, peripneumoniae,  
 apoplexiæ cum summa plenitudine, si  
 præcipue causa eorum parti affectæ ut plu-  
 rimùm impacta jam est, quia mensis, &  
 venæ Sectio in pede celebrata vix tam ci-  
 tò, & ex ipso loco affecto tantum, quan-  
 tum horum affectuum celeritas, & vche-  
 mentia postulat, evacuant, videtur præ-  
 stare venam proximorem, brachij, sicut  
 in modo priore, sed cum eadem circa  
 crura adhibitâ cautelâ, incidere: quem-  
 admodum istud expressissimis verbis in

Praxi sua de morbis acutis puerperarum nos docet Lazarus Riverius : In morbo acuto particulari, ut pleuritide, peripneumonia, angina & similibus advertendum est, an fluxio tantum fieri incipiat, ita ut morbus sit tantum imminens, vel incipiens, & pere exigua sanguinis quantitas in parte collecta sit ; tunc enim venæ inferiores aperienda sunt, ut revulsione factâ ad opposita distantissima præposterus ille humorum motus inhibeatur. Si verò bona ex parte fluxio facta sit, & inflammatio genita, eaque valde urgeat, sive mulier expurgetur sufficienter, sive non : statim venæ superiores aperiendæ sunt è directo partis affectæ, quia talis evacuatio à parte affecta sanguinem edicit ; at si venæ inferiores aperiantur, quæ nec proximæ sunt parti affectæ, nec ab ea evacuare possunt : & virtus ab evacuatione labefactabitur, & materia in loco particulari conculcata non minuetur. Atque ita vel totum ferè sanguinem educes ad revelendam materiam morbificam à parte affe-

Ela, vel prius mulier à morbo perimetur, quam facta fuerit revulsio sufficiens &c.

Idem faciendum est in febribus ardenti-  
bus, & vehementibus, &c.

Hæc curandi Methodus non solum in puer-  
peris, sed etiam in reliquis mulieribus morbo  
acuto correptis, & menstruas purgationes  
patientibus observari potest.

Eiusdem mentis est & Wolfgang. Höffer.  
in Hercule suo Medico lib. I. c. 13. An-  
ginx, ut & omnis inflammationis vehemen-  
tis remedium esse venæ Sectionem rectè insti-  
tutam, passim constat apud practicos, &  
quidem tam religiosè, ut ea etiam in muliere  
menses paciente, nullâ mensium habitâra-  
tione in brachij vena cephalica instituatur.  
Item Zacut. Lusit. lib. I. Hist. princip.  
Med. hist. 77. in Comment. & apud eum  
Mercurial. Ludou. Mercat. Joan. Ra-  
phael Moxius, & Roder. de Castro.

Repreto sic non nihil affectus illius pe-  
racuti impetu per sanguinem ex venis su-  
perioribus, & parti affectæ vicinioribus  
extractum, si videretur necessè, liberum  
est,

est, postea etiam in pede venæ Sectio-  
nem instituere, quod ipsum quidem vo-  
luit dicere citatus Zacut. Lusit. dum  
postquam in maxima urgente necessitate  
concessit venam esse seccandam in parti-  
bus superioribus, tandem subjungit: *Eā*  
*tamen servatā lege hoc faciendum impera,*  
*ut alternatim fiat ex brachio, & crure*  
*phlebotomia.* Sic enim & utero mandanti,  
& parti inflamatæ opem præstamus. Evo-  
catis etiam eo tempore mensibus per frictio-  
nes, ligaturas, cucurbitulas infernis parti-  
bus adhibitas, quibus irruentis sanguinis  
impetus citius trahatur deorsum. Addit  
etiam venæ cephalicæ apertione non ita  
fursum avocare menstrua, ac si basilica  
incidatur, subjungit tamen feliciter eti-  
am istam suisse à Valeriol. in simili casu  
sectam, & propterea etiam cam posse tu-  
tò incidi.

Per purgantia, qui sibi persuadet, na-  
turam distrahi, & ab incepto alio opere  
averti, is cum eis fluentibus actu men-  
struis adhuc cautiùs procedet, quàm  
men-

menstruis nondum quidem fluentibus,  
sed tamen proximè instantibus; Qui verò  
cum citato Wolf. Höffero illa potius  
menses proritandi, quām naturam ab eis  
continuandis distrahendi virtute pollere  
credit, is quidem menstruis aqua fluenti-  
bus ab illorum usu non omnino abhorre-  
bit, numquam tamen eis utetur dicto  
menstruonum fluxu ritè procedente, eo  
quòd purgantia porrigendo dictum illum  
menstruorum justum fluxum adhuc ma-  
gis augeret, consequenter, novum ma-  
lum, immoderatum scilicet menstruo-  
num fluxum induceret, bene verò fluxu  
illo debitè non procedente, sed iminutè.  
Quin imò tunc etiam cum alijs ad id  
idoneis remedijs naturæ deficiēti opem  
feret, videlicet cum potionibus hæma-  
gogis, crurum ligatuīs, frictionibus,  
suppositorijs, clysteribus, lavacris, & si-  
milibus, quæ menses proritare valent,  
dumodo ea tamen à morbo præsente ad-  
mitti videbit. Et quidem justè: eo quòd  
tunc menstrua pellendi indicatio præva-  
leat.

leat. Quando menstrua verò ritè procedunt, præterquam, quòd purgantia ob allegatam causam suspecta essent, non videntur adeò urgeri à præsente cacochymia, eò, quòd ipes sit, eam per ritè fluentia menstrua únà cum sanguine jam instantum evacuandam, ut ægræ, donec finiatur in totum ille fluxus, & eam ulterius expurgare licebit, adeò multum non noceat. Neque refert, quòd purgantia quandoque planè etiam in nimio mensium fluxu usurpentur, adeoque non videatur esse ratio, cur non etiam, & multò quidem securius in mensibus ritè fluentibus, si cacochymia eorum indicans adsit, possint usurpari. Respondeo enim disparitatem esse, quòd in priori casu cacochymia supponatur esse indicans magis urgens, & causa continens talis nimij fluxus, quâ proinde per apta cathartica non priùs sublatâ, frustrâ sit expectare nimis illius fluxionis cohibitionem: in casu posteriore verò tanta cacochymia non supponitur; quamvis neque in priore casu

quæ.

quæcunque purgantia sint tuta, sed, uti  
bene advertit Sennertus l. 4. prax. part.  
2. l. 2. c. 4. leviora solùm, & naturam  
non ita commoventia, qualis est *syr. ros.*  
*sol. manna*, *rhab. fol. sen.* & mechoac. pur-  
gantia verò fortiora neque in hac neque in  
alijs causis exhibere licet: cùm stimulando  
majorem sanguinis fluxum concitent.

Vomitoria, si eorum, propter abundan-  
tem fortè in, aut circa ventriculum caco-  
chymiam, occurreret necessitas, videntur  
ab utero ita facilè naturam avertere non  
posse ( dummodo leviora saltem sint )  
neque multùm commovere, adeoque  
neque facilè largiorem mensium fluxum  
causare, neque eum imminuere; conse-  
quenter, nisi ea talia sint, quæ univerlam  
naturam violenter commovere valent,  
qualitercunque sc habeat mensium flu-  
xus, satis tutò usurpari posse videntur.

De diureticis dictum superius est, ea se-  
rositates ad sanguinis fluxibilitatem ne-  
cessarias adimendo menstruali fluxui per-  
se usurpata quoque facilè obesse posse:  
adeo.

adeoque eorum usum esse mensibus actu fluentibus quoque insecurum, per se clarum evadit. Nisi necessitate forte ita impellente quis levioribus (altem uti vellet, & ijs insuper cum uterinis permisisti, ut nimirum menstruus ille fluxus in suo esse tamen conservaretur? Quod ipsumputa & quidem adhuc magis de diaphoreticis, nimirum quoque eorum usum, si per se, & illa fortiora usurparentur, fore mensibus actu fluentibus, noxium.

Multus refrigerantium per se talium usus quoque suspectus esse debet.

Astringentium verò, saltem internus, planè nullus.

An verò menses carent? Respondeo si menstruus fluxus legitimè procederet, quoque nullus, & multò adhuc minùs, si is nimius esset: si verò imminutus; tunc oporterer videre, qualia menses carentia à præsente morbo admittantur, qualia non. Sunt siquidem eorum varia, alia nimirum, quæ intus usurpan-  
tur, & ea ipsa vel fortiora, vel mitiora,  
tem-

temperatiora, vel calidiora. Alia vero; quæ etsi externè solum admota, multum tamen in ciendis menstruis præstare valent: adeoque ubi internorum usus ob morbi cuiuspiā calidi præsentiam videtur suspectus, usurpari poterunt externa; dicto illi affectui fortè non ita contraria; qualia sunt crurum ligaturæ, frictions, scarificationes, cucurbitulæ, foimentatio; nes, lavacra, suppositoria, & similia, quæ videre licet pàssim apud Autthores de mensium suppressione. Talis siquidem fluxus tanquam naturæ amicus sibi restitu; tui semper desiderat, qualiscunque ei su; perveniat morbus: quòd id tamen præ; stare non semper liceat cum internis; oportet conari, ut illud præstetur, si pos; sibile est, taltem per externa;

Atque ita appareat, qualiter quoque cum remedij, ratione quorum contin; gunt affectuum cum mensibus actu au; entibus concurrentium complicationes; tutò procedere liceat.

Nunc adhuc qualiter procedendum cum talibus remedijs in illo casu , ubi morbo jam actu præexistente menses superveniunt? Ad quod quidem Respondeo , eundem planè esse cum singulis processum , qui fuit in Complicationis modo mox antecedente , dummodo tam en attendatur , circa quódnam morbi tempus menses supervenerint , & an supervenientes ritè fluant , & morbo satisfaciant , nec non . Quando enim jam tali aliquo tempore superveniunt , quo nullo eis suspecto remedio amplius opus est , res in salvo est , & ad aliud attendere non est necesse , quàm ut fluxus ille ritè procedat . Quòd si verò mox in principio morbi , aut augmento & antequam suspecta illa remedia usurpata fuere , superveniant , tunc eadem est circa dicta illa remedia observatio , quæ in præcedente complicationis modo . Quòd si verò supervenientes menses iminutè saltem fluerent , aut alias morbo , atque plenitudini satisfacti non viderentur , oporteret eos

cum sanguinis per venæ incisionem emissione supplere, veletiam, quantum morbus permittere videretur, cum alijs ad id idoneis remedij proritare. Ulteriora repetet ex mox antecedente complicationis modo. Quibus ratione mittendi sanguinis addere licet etiam Andreæ Cæsalpini huc quadrantem illam sententiam lib. 2. de febr. c. 29. in Speculo Artis Med. Si expectatur alia excretio à natura, seu per bæmorrhoides, quæ inceperit tempore mittendi sanguinis: Si sufficiat non detrahendus, si non sufficiat supplendum, ut ex utroque tantu detrahatur, qui sufficiat. Et paulò post. Præterea si sufficit evacuatio, quæ à natura fit, ad minuendam materiam, non semper sufficit ad ventilandum in magna febre, nam etiam non existente plenitude, aliquando venæ Sectio necessaria est.

Ac tandem si morbus suppressis mensibus superveniret, siquidem id tripliciter contingere potest, ijs videlicet, vel primo cessantibus, vel longius ab ijs, vel jam rursus instantibus, & hoc quidem vel

ali-

aliunde, id est ab alia causa, vel propter eorum suppressionem: Morbi etiam qui accidunt, sicut in prioribus casibus innui-  
mus, sunt varij, urgentes scilicet, mitio-  
res & moram patientes; & unum & alte-  
rum antequam cura inchoetur, venit  
considerandum.

Et quoad primum quidem, si suppres-  
sis mensibus affectus quispiam accidat,  
omnium primò dispiciendum est, quó-  
nam suppressionis tempore id acciderit:  
an mox primò cessantibus, vel longius,  
id est aliquot diebus ab eorum fluxu, me-  
dióve inter unam, & alteram menstrua-  
tionem tempore, aut planè mensibus jam  
jam, intra biduum, triduum, quatridu-  
umve instantibus. Si longius ab eis,  
quia aliàs natura tunc non amplius deor-  
sum inclinare censemur, adeoque non est,  
quòd menses pro tunc quicquam contra-  
indicent, qualiscunque ille sit morbus,  
res facilis est, quoniam absque eorum re-  
spectu indicationibus quibuscunque tum  
occurentibus liberè satisfacere licet, ne-

que morbi eo tempore accidentes ratione mensium complicati nomen merentur.

Si verò mensibus primò cessantibus morbus accidat, considerandum qualiter illi cessarint, an naturaliter, id est postquam sufficienter & more solito fluxerunt, vel præter naturaliter v. g. exercitio aliquo in sex rebus non naturalibus commisso, qualiter locutionibus quandoque tempore menstruorum cum nudis pedibus frigidæ insistentibus, Item ijs, quæ in cibis, vel alijs, astringentia assumunt, ut fabas, castaneas similiaue edulia. Item observante Joanne Michaële prax. Clin. gen. p. I. l. 5. de morb. Mul. c. 26. panem è furno calentem, vel etiam observante me lactucas copiosius edunt, antequam satis fluxerunt menses, accidit? In priore calu, quia menses non sunt causa talis morbi, neque natura amplius verius uterus inclinat, adeoque nec periculum est, ne ex aliquo à morbo, vel ejus causa indicato remedio mensium læsio continetur.

gat, respectus à què nullus ad menses est habendus, ac in casu prædicto. In casu posteriori verò morbi concurrentis naturam pensare expedit. Num is nimis ex genere peracutorum, & valde urgentium sit, vel ex genere mitiorum, & moram aliquam patientium? In illis, sicut in hactenus dictis modis, si languinem mittere sit necesse is ex superioribus venis est primùm mittendus, sed cum saepius ibidem memorata circa crura cautelâ, & subjunctâ postea incisione saphænæ, vel alterius cujuspam venæ patentioris in talo. In his verò id est mitioribus, ex pede sanguis mittendus est, ut taliter nimis ex pede sanguis mittendus est, ut taliter nimirum, & morbi necessitati, & mensum diminutioni satisfiat. Imò nisi morbus obsistat, donec natura deortum inclinare videtur, etiam alijs remedij menses revocare conandum.

Quid verò si suppressio illa jam esset diuturna, puta trium, vel plurium mensum, & morbus quispiam mitior quidem (de valde acutis enim jā diximus eos om.

nem aliam contraindicationem contemnere ) sanguinis missionem tamen exposcens accideret, aut si etiam extra quemcunque talem morbum præcisè ad provocationem mensium sanguis eslet mitten-dus, unde tunc sanguinis illa emissio melius fieret, ex brachione potius, vel ex pede ? Galenus lib. de Curandi ratione per sangu. Mission. Cap. 11. putat quòd ex pede : Nam plenitudines à suppressis mensibus ortas, omnino per crura evacuabili, sive venam secare oporteat, sive scarificare. Sectæ enim in cubito venæ mulierum revel-lere purgationem assolent. Cum quo propter eandem rationem Consentit etiam Sennertus lib. 4. Prax. p. 2. l. 2. c. 3. quæst. 2. Aëtius & contra Tetrab. 4. term. 4. c. 57. contrarium tenet, & putat plenitudinem illam per venam in brachio se-ctam priùs esse imminuendam, & postea primò ratione mensium suppressorum eli-se secundam venam in pede ad sanguinem deorum trahendum. Cum quo tenet quoque Paulus de Sorbaith Archiater quon-

quondam Cælareus Prax. Med. tract. 6.  
c. 10. quæst. 66. Et addit rationem, ni-  
mirum, si ex pede mittatur ex majori par-  
te sanguinis massam ad partes inferiores ra-  
ptum, & vel inflammaciones, vel majores  
obstructiones generatum iri. Et dicit, se  
sæpius observasse, in magnis & diuturnis  
obstructionibus venæ sectione in brachio pri-  
us facta fluxisse menes, quemadmodum in  
summis urinæ obstructionibus ob vesicæ reple-  
tionem; & distensionem post vomitum exci-  
tatum, revallis scilicet humoribus, urinæ  
fluere incipiunt. Quod ipsum sentio &  
Ego, quia si plenitudo sanguinis magna  
est, qualis in diu obstructis mensibus  
plerumque supponitur, procul dubio mox  
in pede emissus sanguis cauaret, quo univer-  
sa plenitudo versus uterum rueret,  
ad eoque obstructiones ibidem contuma-  
ciores redderet, quod verò minimè me-  
tuendum, si plenitudo illa per prius in  
brachio emissum sanguinem fuit quo-  
dammodo imminuta. Quamvis tamen  
non contradixerim Galeno in tali catu,

ubi plenitudo tanta non est. Id, cum quo conatur conciliare Galenum & Aëtium Donatus ab Altomari C. 107.

Sed numquid tunc alijs insuper remedijs suppressi menses essent referandi? R. quòd ita, si, & quantum morbus currens permittit, & si aliàs tunc tempus consuetum, quo menses ordinariè fluere antehac solebant, adsit: extra id verò minimè, eò, quòd communis observatio sit, naturâ deorsum non inclinante frustra fieri omnia, quæ ad provocationem mensium aliàs facere solent. Potest tamen paulò antè natura ad id sensim, & sensim disponi per expurgantia, & deobstruentia remedia, ad hoc ut suo tempore menstrua ducentibus tantò faciliùs ad intermissum suum debitum rursus perduci queat.

Quid verò cum cæteris remedijs quoque mensium fluxui aliàs facilè noxijs, videlicet cum purgantibus, vomitorijs, sudoriferis & similibus, si eorum tempore primò, & præter naturam cessantium men-

mensium, necessitas occurreret? &c. cum eis fore se gerendum ferè eo, quo in proximè instantibus mensibus modo: de quo verò jam superiùs.

Atque ista de morbis cum menstruo mulierum fluxu quocunque modo complicatis.

## C A P U T   X I V .

### *De Morbis Cum graviditate Complicatis.*

FÆtum in utero materno conceptum, & plerumque ad nonum usque mensem inclusivè, aliàs etiam diutiùs, ut observante Franc. de le Boe Sylvio usque ad duodecimum, aliàs verò etiam breviùs, ut teste ipso Hip. de septimestri partu usque ad septimum mensem gestatum, plurimis, donec ex ergastulo illo materno in liberam auram eum venire contingat, periculis esse subjectum jam aliàs in hujus 2dæ partis cap. 10. insinuavimus, & id ipsa quotidiana experientia abundè testatur, ut proinde multis hîc ea propalare fru-

straneum fuerit. Solùm animadversum  
 velim, quemadmodum ejus etiam jam  
 alias memini, inter cæteras, quarum lon-  
 gam seriem in examine obstetricum fol.  
 77. venerandus olim, & vel propterea hic  
 memorandus Viennæ in studio Medico  
 Professor meus Excel. Dominus Stoko-  
 merus, causas præfatum periculum pro-  
 ducentes esse quoque morbos varios mu-  
 lieribus interea temporis, quo in utero  
 gerunt, accidentes: quemadmodum il-  
 lad ipsum luculenter expressit in doctri-  
 na sua aphoristica Hippocrates §. aph. 30.  
**Mulierem gravidam morbo quopiam acuto**  
**corripi, lethale.** Item §. aph. 34. **Mulieri**  
**uterum gerenti si aluum multum fluat, peri-**  
**culum est, ne abortiat.** Item §. aph. 43.  
**si Mulieri prægnanri fiat in utero erysipelas,**  
**lethale est.** Rursus eadem Sect. aph. 55.  
**quæ gestantes uterum febribus corripiun-**  
**tur, & evidenter sine evidente causa exte-**  
**nuntur, eæ difficerter, & cum pericello pa-**  
**riunt, aut abortientes periclitantur.** Pa-  
 riter §. aph. 60. **Si prægnanti purgatio-**  
 nes

nes menstruæ cursum suum teneant, bene  
valere fætum est impossibile. Et tandem 7.  
aph. 27. Si prægnanti tenesmus superve-  
niat, abortus est causa.

Duplici verò ratione tales morbi id pe-  
riculum efficiunt. Primò per se, & ra-  
tione sui, quatenus ex natura sua, & sym-  
ptomatum, quibus stipantur, vehemen-  
tiâ, & matri & fætui insidiantur. 2dò per  
accidens, & ratione alterius, quatenus  
nimirum tale aliquid ad sui curationem  
indicant, quo in usum vocato periculum  
notabile matri fætuique, vel saltem fætui  
necessariò consequitur.

Prioris generis sunt omnes morbi acu-  
ti, qui suâ vehementiâ, & symptomatum  
sævitie unâ cum Matre, etiam ipsum fæ-  
tum præcipitant, vel certè eatenus debi-  
litant, ut neq; Mater fætū ulteriùs retinere  
possit, neq; fætus ibidem ulteriùs vivere,  
sed emortuus à natura tanquam præter na-  
turale quid reijsciatur. Talis fortis sunt jux-  
ta præcitos Hip. aphorismos morbi om-  
nis generis acuti, alii fluxus, adeoque diar-  
rhæs,

rhææ, dy<sup>l</sup>enteriæ, lienteriæ, Cæliacæ,  
fluxus hepatici, hæmorrhoidales, &  
menstruales, nec non hæmorrhagiæ quæ  
cunque, vomitiones, & nimiæ purgatio-  
nes, seu hyperchataries, tenesmi, stran-  
guriæ, tusses vehementes, & diuturnæ,  
sternutationes, Colicæ, nephritides, Ery-  
sipelata uteri, hydrops &c. Quorum  
quidem alij naturam ad continuam ex-  
cretionem impellendo, ut diarrhæa, dy-  
lenteria, tenesmus, & stranguria: alij ni-  
mium uterum concutiendo, ut sternu-  
tationes nimiæ, tussis terina primis præ-  
sertim, & postremis gestationis mensibus  
affligens: alij corpus ad continuam jecta-  
tionem, & contractionem urgendo, ut  
dolor colicus, & nephriticus: alij fætui  
alimentum necessarium depalcendo, ut  
hæmorrhagiæ, vomitiones nimiæ, & qui-  
cunque alii fluxus: alij fætui facile le-  
communicando, ut Erysipelas uteri, fe-  
bres acutæ, Epilepsiaæ, lues venerea, &  
variolæ: alij, ut hydrops, suffocando, &  
alij aliter abortū periculum inducere pol-  
lunt:

sunt: omnes verò Matrem fætūmque debilitando.

Posterioris generis verò sunt pariter isti ipsi, sed sub eo solùm respectu considerati, quatenus Complicati sunt, id est tali aliquo remedio ad sui curationem opus habent, quod graviditati ad debitum, & connaturale partûs tempus perducendæ repugnat.

De his igitur ut talibus in præsenti nobis negotium, quâ ratione nimirum cum remedijs illis à morbis tunc accidentibus quidem indicatis, adeoque, si morbis illis contulece velimus, in usum necessariò ducendis; graviditati verò contrarijs, adeoque potius, nisi fætui obesse velimus, omnino intermittendis, circum eundem, quò sine fætûs læsione aut usurpentur, aut omittantur.

## CAPUT XV.

*Circa quæ potissimum remedia contingit  
Morborum prægnantibus accidenti-  
um Complicatio.*

**V**T quis in cognitionem eorum veniat, circa quæ potissimum contingunt affectuum prægnantibus accidentium cum graviditate Complicationes, eum ea scire expedit, quæ pro affectibus tunc temporis, cum mulier in utero gerit, accidentibus usurpata, fætum lædere valent, & abortum ante tempus procurare; in eo siquidem talium affectuum cum graviditate complicationem consistere dimicimus.

Porrò quæ ergo talia in specie sunt?  
**R.** quòd potissimum venæ sectio, purgantia, sub quibus comprehenduntur vomitoria, clysteres, & suppositoria: diuretica medicamenta, & diæta tenuis. Ratio est, quòd restè horum ad expugnandos gravidis accidentes affectus frequentissima occurrat necessitas, quæ ve-

rò singula fætui intensa sunt, & cum facilè lædere, & quò is præmaturè ex utero exturbetur, efficere possunt, adeoque abortus causa esse, quod tamen semper vitare non tolùm humana, verùm etiam divina, uti postea videbitur, lex jubet. Probatur istud verò in specie de venæ Sectione ex Hip. 5. aph. 31. ubi *Mulierem in utero ferentem venâ Sectâ abortire, eoque magis, si sit fætus grandior, expreſſe aſſerit.*

De purgatione verò 5. aph. 29. ubi recetè propter dictam rationem, abortum nempe facilè inde concitabilem, gravidas primis & postremis gestationis mensibus purgare vetat: *prægnantes purgabis, si materia turgeat, quadrimestres, & usque ad septimum menſem, sed has minùs. Minore verò, aut grandiore fætu abstinebis.*

Clysteres etiam abortus causam esse posse testis est Philip. Jac. Schenfelderius in histor. suis Med. in annotationibus ad historiam 25. ubi quampiam gravidam mox ad clysteris admissionem abortivisse allegat, & propterea ab eo tempore in illa

illa vicinia fæminas à clysterum applica-  
tione sibi, dum uterus gerunt, quām  
maximè timere.

Suppositoria etiam non minùs gravidis  
suspecta reddidit, ipsa pharmacopocia  
Augustana, dum in materia de supposito-  
rijs expreſſè monet, eorum acriora iſpis  
non convenire.

Vomitoria quidem omni periculo in  
gravidis carere, videntur non ſolum  
communiter omnes Practici centere,  
dum pro pica affectu prægnatibus valde  
familiari, nauſea, vomitu, & ſimilibus,  
à ventriculi indiſpositione dependentibus  
accidentibus curandis inter cætera reme-  
dia communiter etiam vomitorijs utun-  
tur, verūm etiam natura ipsa, primis ge-  
ſtationis mensibus apud plerasque gravi-  
das planè fætui innoxias vomitiones mo-  
vens: id quod fecit apud H oſpitiam  
quamdam nostratem etiam toto gesta-  
tionis tempore. Quòd ea tamen non  
ſolum fætui neceſſarium alimentum ſub-  
trahere poſſint, verūm etiam in vomitio-

nis actu universum abdomen consequenter & uterum potenter comprimere sit necesse, adeoque per eam compressionem facilè fætum ipsum exprimi ex utero contingere, censio neque horum usum esse gravidis omnino fecurum.

Diuretica docet ipse Galenus l. 5. de simpl. Med. fac. c. 22. cum menses ciuentibus, consequenter cum fætum pellentibus maximam habere affinitatem, quod ipsum censet & Daniel Sennert. l. 4. prax. p. 2. l. 5. c. 3. quæst. 6. & propterea eis in nimio mensium fluxu, ad derivandas sanguinem fluxibiliorem reddentes ferocitates ad vias urinarias, metuit uti citato lib. & Sect. cap. 6. adeoque clarum evadit, ex sententia Galeni & Sennerti quoque diuretica esse gravidis infœcera. Id quod etiam sentit Riverius l. 15. prax. c. 15. *diuretica verò, quia menses quoque mox vere apta sunt, debent esse suspecta.*

Diætam denique tenuem esse quoque fætui infœciam elucebit non solum ex eodem Galeno in Comment. aph. Hip.

30. Sectionis 5. inter cæteras pro aphorismi confirmatione adductas rationes, quoque diætam tenuem allegante: *Tali enim est morbus acutus. & in hoc duplex periculum: unum quidem propter febrem ipsam fætum occidentem, alterum vero, quod ex longo intervallo cibum dantes ex alimenti defectu fætum destruemus, si vero, ut servemus hunc, non verebimur crebro cibum exhibere, febres continuas viectu intempestivo augentes, mulierem gravidam occidemus.* Verùm etiam ex Aëtio Tetrab. 4. lerm. 4. c. 18. inter reliqua fætum expellentia, quoque tenuem victum per aliquot dies servandum, recensente.

Ratio vero singulorum est, quod quemadmodum in Comment. 5. aph. 31. docet Galenus, sanguinis missio fætui necessestarium alimentum surripiat; purgantia vero, vomitoria, clysteres, suppositoria, præterquam, quod quoque dictum alimentum fætui surripiant, teste eodem Gal. in Comment. 4. aph. 1. naturam nimis violenter commovent, & ad ex-

cre-

cretionem stimulant : diuretica etiam præterquam, quod quoque naturam ad excretionem stimulent, in iuper teste Sennerto mentes movent: ac tandem tenuis diæta, quod necessarium alimentum fætui non iuppeditet; ad quæ singula verò facile est fætum aut præmaturè ex utero præcipitari, aut in eodem priusquam prodeat, emori. Quod ipsum licet quoddammodo tenere etiam de sternutatorijs ab Aëtio superiùs citato loco quoque inter fætum expellentia enumeratis, & tanquam ad expulsionem eorum, quæ in utero continentur, facientibus, etiam ab Hip. 5. aph. 49. ad secundinarum expulsionem propositis. Ut secunda procedat, sternutatorio apposito, & nares apprehendito, & os.

Ex quibus tandem omnibus clarum evadit, circa sanguinis emissionem, purgantia, vomitoria, clysteres, & suppositoria medicamenta, diuretica, sternutatoria, & diætam, potissimum contingere affectuum, in utero gerentibus mulie-

ribus accidentium cum graviditate complicationes.

De menstrua ducentibus dictis hæmagogis nihil dico, eò, quòd horum indicans tempore graviditatis, quo incertes naturaliter aliàs fluere non solent, nullum adsit. Neque credo quempiam sanguinem mentis usque adeò flagitiosum, qui ab horum usu tunc non abhorret, cùm abhorruerit ab eo, imo jure jurando se nunquam quid tale facturum obstrinxerit ipse, ut Ethnicus Hippoc. in Jure Jur.

## C A P U T XVI.

*De legitimo remediorum, circa quæ contingunt in prægnantibus mulieribus cum graviditate complicationes, usu.*

**E**X hactenus adductis igitur patet, non solum frequentes occurrere in gravidarum mulierum curationibus complicationes, verùm etiam ea, circa quæ, aut ratione quorum contingunt potissimum tales complicationes. Hic igitur adhuc illud resolvendum superest, qua litera

liter cum illis remedijis circumcundum sit,  
 absque eo, quod ratione fatus, cui illa  
 infensa admodum sunt, impingatur, si  
 quando eorum necessitas in gravidis oc-  
 currit. Occurrit vero frequentissime:  
 & sanguinis missionis quidem toties,  
 quoties magna adeat in gravidæ corpore  
 humorum, plethora græcis dicta, pleni-  
 tudo, propterea ab Avicenna apud Za-  
 cut. Lusit. princ. Medic. Hist. l. 3. quest.  
 26. quoque inter cæteras abortus causas  
 enumerata, vel alias prægnantem affli-  
 git acutus aliquis, & valde periculosus af-  
 fectus. Purgationis vero toties, quoti-  
 es cacochymicis humoribus conspurca-  
 tum deprehenditur prægnantis corpus,  
 sive deinde id fiat citra ulteriorem ali-  
 quam affectionem, sive eâ prælente, &  
 à dicta cacochymia dependente. Vo-  
 mitorum, quoties dictis cacochymi-  
 cis humoribus ventriculus, aut partes ei  
 viciniores molestantur, qualiter fit in  
 gravidis primis gestationis mensibus fa-  
 miliari vomitu, nausea, pica, & simili-  
 bus.

bus. Clysterum, quoties intestina, aut etiam partes ipsis adiacentes molestia aliquâ afficiuntur. Suppositorum potissimum quoties aluus simpliciter proritanda venit. Sternutatoriorum, quoties caput ab ipsis inhærente pituita violentius per nares venit expurgandum. Diureticorum, quoties urinam quacunque de causa remoratam, prolienciēt animus. Act tandem tenuis diæta, quoties acutus aliquis affectus in utero gentem affligit, vi Hippocratici illius: *ubi morbus peracutus est, statim extremitabebat labores, & extremè tenuissimo videlicet necessè. Ubi verò non, sed pleniùs licet cibare, tantum à tenui recedendum, quantò morbus remissior extremis fuerit.*

Tali igitur occurrente enarratorum remediōrum in gravidis necessitate, quid nisi tali necessitatī succurrere velimus, ea in usum ducere erit necēsè? Sed quā ratione, ut absque fatūs noxa ex tali usū impendente id fiat? Hic labor, hoc opus!

Non

Non ignoro quidem modernorum plerorumque Practicorum audaciam eo usque jam devenisse, ut necessitate taliter exigente nullum amplius sibi faciant scrupulum gravidis sanguinem mittere, procul dubio inducti ad id auctoritate Zaceut. Lusit. in princip. Med. hist. l. i. hist. 32. in Comment. qui suffultus auctoritate Celsi, Avicennæ, Rasij, Halij Abbatij, Christoph. à Vega, Musæ, Fuchsij, Fernelij, Mercati, Augenij, Roderici à Castro &c. necessitate sic exigente istud ipsum suadet, atque te ipsum id feliciter in quāmplurimis practicâlscē his verbis gloriatur: *Millies me curâsse recordor plurimas in varijs gestationis mensibus constitutas, acutissimis morbis detentas, quæ quum valentes essent, & largam, suppresso menstruo, sanguinis copiam acervare aſueverant, non nisi quām largâ, copiosâ, & iteratâ phlebotomiâ à tantis malis evasere immunes, & deinceps suo tempore feliciter pepererunt.* Id quod ipsum practicavit etiam Amat. Lusit. Cutat. 57. Sect. i.

dum semestri Caulone laboranti quatenus  
venam cum fructu aperuit. Id quod in  
ostimestri pleuritica jam deplorata cum  
successu fecit etiam quater ei sanguinem  
mittendo quoque superius citatus Roder.  
à Castro l. 3. de Morb. Mul. cap. 21. ubi  
intuper & hoc addit: quod sint plures fa-  
minæ juvenculæ & bonæ habitudinis, qui  
bus citra morbum, cum primum gravide fin-  
unt, eò, quod ex copia detenta suffocari fa-  
tus solet, aut vincula disrumpi, sanguinem  
mittere expedit, ac bonum illum habitum  
solvere, antequam acutus aliquis morbus im-  
vadat. Quod ipsum practicavit etiam  
Forestus l. 16. obit. 30. & 38. & l. 2. obit.  
28. & alibi. Item Petrus Salius Divertitus  
de aff. partic. c. 22. ubi se gloriatur per  
sanguinis missionem primis gestationis  
mensibus factam, quam plurimas ab abor-  
tu præservasse, Lazar River. verò lib. 15.  
Prax. Med. c. 16. se dicit idem ipsum pla-  
nè singulis gestationis mensibus in feme-  
nia Monspeliensi dexterrimè fecisse, &  
eam ab abortu alias ei antehac accidere  
solito;

solito, felicissimè præservâsse; quos postmodum secuti sunt quamplurimi alij ut Carolus Raygerus in Ephem. N. C. Dec. 1. an. 6. & 7. obf. 204. Joan. de Muralto Ephem. N. C. Dec. 2. An. 1. obf. 103. Rosin. Lentilius Ephem. N. C. Dec. 2. An. 7. in Notabilibus circa venæ Sectionem: Albrechtius Ephem. N. C. Dec. 2. An. 8. obf. 165. & alij, quos singulos verò adducere non minùs videatur fore supervacaneum, quām laboriosum. Hos inquam imitantes moderni Practici in fecandâ gravidis necessitate exigente venâ jam audacissimi sunt. Ast, si istos nos quoque sequemur, quid dicemus ad Hippocratis illud 5. aph. 31. *Mulier utero gerens sanguine ex vena missa abortit, & præcipue si fætus sit grandior?* Quid ad alterum Medicorum principem Galenum in Comment. in hanc ipsam sententiam, Hippocrati undique assentientem. Quid ad Donatum ab Altomari, qui lib. de uter. ger. c. 4. expreßè dicit, *le Observâsse absque controversia*

ulla, sanguinis missionem utero gerentibus, pro præservatione abortus, fluente, vel non fluente ex uteri vasis quibuslibet sanguine multo, aut exiguo, in primis vel in medijs, sive ultimis mensibus nullo pacto faciendam fore? R. cum memorato superius Zacuto Lusit. Rive-  
rio, & cæteris prius nominatis Hippocra-  
tem, consequenter & Galenum, quidquid  
dicat Altomarius, per allegatum textum  
omnem in prægnantibus sanguinis mi-  
sionem non absolutè damnasse, quemad-  
modum id patet ex lib. 2. Epid. Sect. 2.  
in Med. ubi Lyciæ prægnanti, & plenis  
inflammatione laboranti aliquoties san-  
guinem ex cubito emisit. Atque adeò  
nos, si cum prænominatis Authoribus &  
Modernis communiter, gravidis in exi-  
gente id necessitate sanguinem mili-  
mus, contra Hippocratis & Galeni men-  
tem nihil acturos. Quando enim Hip-  
polytus in allegato textu illam prohibere videtur,  
intelligendus est de valde copiosa, & ta-  
lli, qualis antiquis in usu erat, ad Coty-  
las

las nempe & libras, sanguinis emissione,  
non verò de parca, & ad uncias, qualis  
nobis est in usu. Ratio enim quæ com-  
muniter pro allegato Hippocratis textu  
contra venæ Sect. in gravidis celebran-  
dam afferri solet, est præcipua, quod per  
eam fætui necessarium alimentum subtra-  
hatur, quod igitur cùm non sit metuen-  
dum ex parca sanguinis emissione, bene  
verò ex copioso illa Hippocratis tem-  
poribus consueta, quid nî illa necessitate  
sic exigente secura erit? præcipuè si in  
utero gerens juvencula sit, boni habitûs,  
rubicunda nimirum, succulenta, & car-  
nosa, venas etiam habeat turgentes, aut  
aliàs copiosis hæmorrhagijs est assueta, &  
fortè sæpius hactenus ex humorum abun-  
dantia abortum passa, & insuper fortè  
primò in primis gestationis mensibus con-  
stituta. Talibus enim benè, & si opus  
etiam iteratò sanguinem emitti præter  
allegatas Athoritates quoque quotidiana  
experientia ipsa demonstrat; & videtur  
ad id nos invitare etiam natura ipsa,

maximas s̄epe hæmorrhagias suâ sponte,  
ad deplendam, quæ fætum suffocare po-  
terat, plenitudinem, citra ulteriore no-  
xam concitans, prouti talem calum ex  
Savanarola narrat Augenius 5. Epist. I.  
c. 6. de fæmina, quæ intra 12. dies plus,  
quam 16. lib. sanguinis per nares excre-  
vit, & tamen fætum suo tempore sanissi-  
mum edidit. Quod ipsum recordatur  
citra noxam contigisse cum Prætoris cu-  
juspiam uxore in 9. mensē gravida Ca-  
sparus à Reies in Campo Elyſ. Jucund.  
Quæſt. 74. num. 13. Et Ego ipse novi  
fæminam, quæ nunquam menstruum ha-  
bet fluxum, niſi dum concipit, id quod  
ipsi etiam pro infallibili factæ conceptio-  
nis signo esse solet, sed numquam  
ultra bis: postmodum verò maximas pa-  
titur per nares, imò quandoque etiam  
per os sanguinis sed innoxias effusiones.  
Ut taceam hæmorrhagias illas, quas na-  
tura apud multas primis præcipue gesta-  
tionis mensibus per uterum molitur:  
quæ omnes quid aliud nobis designant,

quām

quām ut ad naturæ imitationem necessitate exigente quoque nos idem ipsum per artem, dum natura id non facit, molliamur. Ergo, inquit jam citatus à Reies, si natura hoc molitur, & tam supernè, quām infernè redundantem copiam, expellit, ut Matrem exoneret; libereque aërem trahere possit, quò melius fætum suum conservet, ne in tanta venarum plenitudine, illo deficiente aut suffocetur, aut illius copiâ obruiatur; si hoc inquam abhuc in statu salutis contingit, quare ubi ægritudo jam urget, & illa humorum abundantia non solum in utero cognoscitur, sed prava etiam qualitas, & pudredo adjuncta ex accidentium pravitate notatur, naturam rectè operantem non imitabimur, & per viam, quæ commodior videatur, ferocem hostem districto ense mortem celerrimè minantem, debellare non tentabimus, cum præsertim remedij utilitas baud dubia sit, aborsus verò periculum non utique certum?

Sed dices Hip. 5. aph. 10. dixisse, quod si prægnanti purgationes menstruae

*cursum suum teneant, bene valere fætum si impossibile.* Ergo malè inducuntur pro imitatione hæmorrhagiæ illæ, quæ latem per uterum, gestationis tempore apud quasdam plethoricas per plures menses consequenter contingunt. R. ne gando illatum. Dicitæ enim hæmorrhagiæ à nobis allegatæ innoxiae supponuntur, utpote moderatae, & tensim, donec fætu facto grandiore, & plus sanguinis pro sui nutritione indigente, tandem in totum desinant, deficientes: adeoque quæ necessarium fætui alimentum non subtrahunt, sed solum id quod de eo residuum est, & in fætūs primis mensibus adhuc minus indigentis nutritionem non absumitur, & quod in corpore relictum cum fortè iussicare posset, deplent, non verò tales, quales in allegato textu inteligit Hippoc. Dicit enim *si cursum suum teneant*, id est, in eadem, & eâ magnitudine quantitate diu nimis continent, sic enim procul dubio facile contingit necessarium alimentum fætui subtrahi, consequen-

quenter evadere debilem, & infirmum, præterim ubi gestatio jam in plures menses protracta fuit, & fætus factus grandior copiosiore nutrimento indigere incepit, aut aliás uterum gerens minùs sanguinolenta est. Dixi: ubi gestatio jam in plures menses protracta fuit. Scendum namque est teste Antonio Deusingio in Genes. Microcosmi. usque ad trigeminū gestationis diem fætum adeò exiguum esse, ut de eo vix aliquid appareat in utero. Et Ego primò nuper vidi, & hic manibus reſcidi abortum tertij mensis, qui tamen fabam majorem italicam, non dicam, vix superavit, sed vix vix adæquavit. Ex quibus quid aliud concludendum, quām eum primis gestationis mensibus vix aliquo nutrimento indigere, consequenter ex quacunque leviore sive naturali, sive artificiali sanguinis profusione nutrimenti defectum non percipere. Est bene quidem verū in placentæ, & membranarum Chorij scilicet & amnij, quibus fætus involvitur, for-

formationem plūs aliquid sanguinis etiam illis ipsis primis mensibus insunni, verum illud ipsum tamen tantum non est, ut ex quacunque sanguinis protusione mox defectum patiatur.

Urgebis: si ex eò, quòd sæpiùs videamus prægnantes plurimùm sanguinis tum per superna, tum per inferna citra notabilem fætùs noxam effundere, bene concludimus, id ipsum etiam per artem urgente necessitate practicari posse, ergo licet illud ipsum quandoque etiam ex inferioribus venis tentare, adeoque etiam saphænas prægnantibus incidere, id quod tamen planè videtur vetitum? R. istud quidem in casu extremè necessitatis, & affectibus periculosisssimis ab uterò dependentibus practicari à pluribus gravissimi Auctoriis, uti id in specie videre apud sæpius in hac materia citatum Zaccutum Lusitanum princ. Medic. Hist. lib. i. hist. 32. in Comment. Et ratio est quod talia mala ex utero sint, quid igitur ex eis venis sanguis ipsis erit emit-

tendus, quæ cum utero magis immedia-  
tam habent connexionem, quales sunt  
pedum venæ: aliunde fæminæ tunc in-  
maximo supponuntur constitutæ pericu-  
lo, ergo licet eis etsi cum periculo, cele-  
bratâ in pedibus sanguinis emissione luc-  
currere, cùm melius sit etsi dubium, ali-  
quod remedium experiri, quām ægrum  
infallibili interitui committere. Quia  
imò dicit emissioni illi sanguinis tantum  
aborsūs periculum non inesse, quām  
communiter timetur, præcipuè si fæmi-  
na sit aptimo corporis habitu prædita, ju-  
venis, carnosa, venas latas, plurimo, &  
laudabili sanguine turgentes habens: eò,  
quòd, uti jam etiam nos priùs diximus,  
multas fæminas videre sit, quæ citra abor-  
sūs subsecutionem singulis ferè mensibus  
usque ad partum copiosam sanguinis per  
uterum hæmorrhagiam patiuntur, alias  
etiam, quæ, etsi plurics sibi præcisè ad  
abigendum fætum sanguinem ex saphæ-  
nis emiserint, sui voti tamen compotes  
factæ non sunt, quemadmodum in spe-

cie narrat id de quapiam in diurna ma-  
riti sui absentia illicite imprægnata.  
Ista etsi omnia excogitabilia ad abigen-  
dum fætum adhibuerit, austerissimâ ina-  
diâ se vix non enecuerit, ex saphæna;  
ter decies copiosum sanguinem emiserit,  
ac tandem super omnia ista ter venis te-  
dalibus hirudines admoverit, efficere ta-  
men non poterat, quin suo tempore ge-  
minos obelos, & ovantes paret. Ex  
quibus tandem clarè apparere putat,  
quàm tuta sit, saltem in plethoricis san-  
guinis ex tali venis emissio: quàm verò  
subinde necessaria, ostendit id præter  
superius allegatam rationem, cum expe-  
rientia ipsa, quâ dicit se scire pluribus gra-  
vidis ex utero cum insigni febre epilepti-  
cis ex Medicorum consilio sanguinem ex-  
gibbero fuisse emisum, quarum binæ ve-  
rò revocato ad superiora sanguine subito  
apoplecticæ interierint, aliæ verò ingra-  
veiente epiplesiâ, accessionum sœvitâ  
sint extinctæ, dum interea aliæ, quibus  
in talo emissus fuit languis, feliciter pe-  
re

pererunt. In specie verò centet id faciendum in Epilepsia ex utero, uteri strangulatione, bubone pestilentiali inferiores partes occupante, & bubone venereo eandem regionem incolente. Monet tamen securius talem operationem institui in postremis, quām medijs aut primis gestationis mensibus, cō, quod illi alias sint à natura ad partum destinati, quamvis tamen, quoque inter eos ipsos octavus sit periculosior, quām septimus, & nonus, propterea ab Hippoc. de oclimestri part. pro inepto ad vitalem partum edendum declaratus. Edò quod junior est fæmina, robustior, & magis plethorica, tanto securiorem esse talem operationem, quæ dum non adiungit, debere venæ Sectioni potius crurum scarificationes substitui. Ac tandem tertio nunciam debere tantum sanguinis educi, quantum affectus, & plenitudo postulat, cō, quod prægnanti post curationem vivibus opus sit, non solum ad se, sed etiam ad partum sustinendum. Cum Zas-

cuto consentit Casparus à Reies in Cam-  
po suo Elysio Jucund. Quæst. Q. 74. num.  
11. & adductis à Zacuto affectibus, in  
quibus sanguis ex pede mitti possit, addit  
adhuc uteri inflammationem, erysipelas,  
& synocham febrem, excluso econtrà,  
uti videre est in eadem quæst. num. 15.  
tanquam admodum non urgente, sed  
potius moram paciente, bubone gallico.  
Si enim vehemens ab utero Epilepsia frequen-  
tibus convulsionibus, & cum evidenti peri-  
culo, ne in apoplexiā transeat, gravidam  
infestet; si pestilens bubo in inguinibus ap-  
pareat, dubium non est, quod in his casibus  
aliquando sanguis ex talo mitti debeat: Cum  
enim revulsio, & ex adverso partis man-  
dantis & longè à corde fieri debeat, nullo mo-  
do aliunde, quam à pede languoris missione  
convenire evidens doctrina est. Deinde si  
uteri inflamatio, aut Erysipelas, synocha-  
de febris excitetur, que in uteri venis fo-  
cunt babeat, unde quæsto, & quâ evacua-  
tione ex optima curandi methodo deducta  
promptius, ac celerius saevissimis ijs morbi  
succ.

succurretur, quam missa ex pedibus sanguine &c. Et rursus: quare licebit in deploratis casibus morborum, in quibus ob illorum gravitatem mors imminet, licebit inquam, Christiano Medico aliquid experiri potius, quam infelicem ægrotantem fortunæ, & inexorabili Atropo temere committere. Consentit inquam cum Zacuto Calparus à Reies, & ab eo citatus Tamayus, Æthæus, Magninus, Dilectus Lusitanus, Maroia, & alij. Et id etiam ratio ipsa, atque experientia ab eisdem adducta saltem in talibus subjectis, quæ prope partum sunt (quo tempore ipse etiam Hip. lib. I, de morb. Mul. ad facilitandum partum inferiorum venarum incisionem commendavit) robustæ, & plethoricæ, convincere videtur. Quibus accedit etiam Albrechtij doctrina, quâ loco superius citato instinet nullum dari remedium infallibiliter abortus procurativum: attamen sentio ego id cum maxima præmeditatione, ac cautione, saltem in eis, quæ à partu adhuc longius distant, fieri debe-

re, & non nisi in casibus desperatissimis, & ubi aliter periculum, ne à morbi vehementia alias & mater & fætus intereat, præcaveri non potest; ægræ vires, & plethorica constitutio verò abortum certè subsecuturum dubium reddunt, imo cundem non subsecuturum spem relinquent; atque id semper in minore, quam affectus postulat, & vires, atque plenitudo alias permitterent, quantitate.

Quò necessitati tamen satisfiat, educatur potius pluribus vicibus tantum, quantum necisè videtur, quam unâ vice; quia taliter neque viribus, neque fætui multa vis inferetur, et si etiam sat considerabilis quantitas sanguinis educatur, eò, quod antequam alteram venæ Sectionem repeatas, natura jam se quodammodo rurius recolliget, & de novo nutrimento fætui prospiciet: atque taliter & morbo, & plenitudini satisfiet, & tamen fætui & viribus nihil derogabitur. Atque quò res adhuc cum minori periculo procedat, potest sanguinis illa emul-

sio mediantibus hirudinibus fieri, quas nos æquè ac venæ Sectionem sanguinem deplere docuimus, sed cum longè minore virium jactura; quod ipsum faciunt etiam teste vel ipso Galeno scarificationes. Cum eis igitur in casibus adeò periculosis potius tenendum erit, quam cum venæ Sectione; fætu interea cum maxima solitudine cum remedijs postea, cum de purgatione in gravidis instituenda fieri, ponendis roborato.

Ex quibus omnibus tandem, ut rem majoris claritatis gratiâ rursus breviter recolligam, manifestum evadit, licere absolute, & quandoque necessariūm esse gravidis sanguinem mittere, & hoc non tantūm ex superioribus, verūm etiam inferioribus venis, et si cum adhuc longè majori præmeditatione, & cautione ex his, quam ex illis. Sive autem id fieri debeat ex superioribus venis, sive ex inferioribus, semper ad gravidæ vires, corporis constitutionem, an ea nimirum plethorica sit, nec non, & gestationis tem-

pus esse advertendum; atque quò utero gerens robustior est, quò sanguine magis abundat, & quò à partu remotior est, seu conceptioni vicinior, tantò securius, & plūs sanguinis ei, id quod tamen in pedibus securius prope partum fieri censet **Zacutus**, emitti posse. Nunquam etiam tantum sanguinis educi debere, quantum morbus postulat, & plenitudo, virésque aliás permitterent, sed ob fætus respectum semper in minore quantitate, tantâ nimirum, quæ fætui necessarium nutrimentum non surripiat; aut si id in majore quantitate faciendum, fiat id partitis potius, quam unâ vicâ; qualiter fecit in fæmina illa Monipeliensi, cuius jam superius mentio facta est, **Riverius**. Morborum & mulierum habitus diligenter oportet circumspicere, ut illis remedia convenienter aptari valeant. Hoc perpetuo in memoriam revocantes peccata omissionis leviora esse peccatis commissionis, & satius esse in re dubia infra subsistere, quam ultra debitos limites progredi. Attamen ubi manifestas

festas sanguinis mittendi indicationes intuemur, præmonitis astantibus, multò majus ex morbi sævitia, quām ex venæ Sectione, tum aborsūs, tum vitæ matris ac fætūs imminere periculum; audacter sanguinem detrahemus; hoc nibilominus advertendo, ut sanguinis missio sit parcior, non copiosa, quæ fætui alimentum subtrahere possit. Et si multitudo sanguinis largiorem ejus detractiōnem desideret, partitis vicibus, non semel, idexequendum erit.

In specie monet Rosinus Lentilius loco superiùs citato esse primis gestationis mensibus venæ Sectionem necessariam ijs, quæ menstrua post conceptionem patiuntur, & quidem copiâ sat largâ. Item ijs, quæ aut suppressis diutiùs mensibus, aut eis instantibus concipiunt, utpote in quibus major sanguinis copia quasi necessariò supponitur, quales proinde etiam communiter deteriùs se toto ferè gestationis tempore habere, quām eas, quæ mox post transactum mensium fluxum conceperunt, videmus, nisi mox in prin-

cipio gestationis aliqua sanguinis quantitas eis adimatur. Inde etiam non sive ratione Roder. à Castro ad compescendum prægnantium vomitū & nauseam, si alijs remedij non cedant, sanguinis infusione suadet, lib. 3. de morb. Mul. c. 11.

An verò ex quacunque vena sanguinis ista emissio tutò fiat, magna inter Authores est dissensio, prouti istud videre est apud saepius citatum Casparum à Reies Quæst. 74. Multi à basilicæ Sectione planè abhorrent, dicentes eam cum internis partibus, consequenter & cum utero maximum habere consentum, & propterea fætui, necessarium alimentum ei subtrahendo, facilius nocere posse, quam aliquam, esse præterea etiam cæteris ampliorem, consequenter sanguinem ex ea cum majori spirituum, & virium dispendio evacuari. Taliter sentit Rod. de Castrol. 3. de morb. Mul. c. 21. Sennertus l. 4. Praxeos p. 2. Sect. 5. c. 3. Quæst. 2. Augenius. l. 6. de sang. Mill. c. 3. Mercatus l. 3. de morb. Mul. c. 22. &

& alij, unâ voce afferentes in gravidis ob allegatas rationes nunquam basilicam, sed potius humerariam externam, aut in necessitate adhuc magis urgente medianam esse incidendam, utpote quæ minorem cum utero habent consensum. Sunt tamen econtrà alij cordatiōres, qui bus perinde est, sive una, sive altera vena seccetur, adeoque qui neque ex basilicæ incisione quicquam mali metuunt. Qualis sententiæ est apud memoratum à Reies Amatus cent. I. Curat. 57. qui prægnanti Causone correptæ post cephalicæ Sectionem basilicam aperiri jussit, & cent. 7. Curat. 70. in alia pleuritide detentâ candem venam seccuit. Quod ipsum fecit & Forestus lib. 16. obi. 30. & 38. Item Moxius lib. 2. cap. 19. & Fonseca tom. I. cons. 93. Imò Hieronymus Accorob. à Schenkio lib. 4. de gravidis adductus, planè extra acuti cūjuspiam morbi urgentiam præcisè ad absolum præcavendum. Id quod ipsum praticarunt & alij, ad id eâ ratione inducti, quod

quòd ex Anatome constet, memoratos  
venarum ramos omnes ab una cādēm.  
que venæ ingularis exterioris cavitate  
prodire, atque adeò perinde esse, sive ex  
uno sive ex altero sanguis emittatur.

Quidquid verò sit, si Ego in hac tam  
dubia re sententiam meam proferre de-  
beam, dico omnino in basilicæ incisio-  
ne nos multò cautores esse debere,  
quām in cephalicæ aut medianæ Sectione  
præcipue in eis prægnantibus, quæ debi-  
liores sunt, & minùs plethoricæ, neque  
morbo admodum acuto laborant. Ratio  
est, quòd ramus iste amplior sit cæteris,  
adeoque plus spirituum continet, & ex  
eo inciso sanguis, conlequenter & spiri-  
tus vitales copiosius, & per consequens  
cum majori, uti id jam alibi probavimus,  
virium jactura ruunt, quām si cephalica,  
mediana, aut talvatella aperiretur. Ubi igh-  
tur prægnantis vires aliàs non adeò vi-  
gent, plethora tanta non adest, aut mor-  
bus admodum urgens, præstabit securi-  
tus gradi, & sanguinem potius ex ceph-  
alica,

lica, salvatella, medianaue, qui minores  
rami sunt, & ex quorum incisione san-  
guis adeò impetuose non ruit, neque spi-  
ritus adeò affatim dissipantur, virésue  
deperduntur, mittere. In pede verò si  
mittendus sit sanguis, etsi quoque com-  
muniter à Recentioribus censetur, per-  
inde esse, sive hæc sive illa vena incidatur,  
à laphænæ tamen Sectione vel propterea  
in gravidis omnino abstinentia sentio,  
quòd vel vulgus ipsum ab ea sibi admodū  
timeat, credatque ad ejus incisionem  
abortum infallibiliter consequi debere,  
quamvis tamen contrarium nos doceat  
quotidiana experientia, tanquam quâ sci-  
mus quâ amplimas sibi præcisè propte-  
rea, ut fætum abigerent, eas pluries in-  
cidi curâlse, & tamen minimè sui voti  
compoetes factas fuisse, prout id jam aliâs  
etiam superiùs ex Zacuto probavimus.  
Et ista de sanguinis in gravidis missione  
satis.

Qualiter verò se cum purgantibus in  
gravidis gerere expediat, determinavit  
qui

quidem Hippocrates, i. aph. 4. prægnantes purgabis, si materia turgeat, quadrimestres, & usque ad septimum mensem, sed bas parcius. Juniores autem, & leniores edutè vitare oportet. Verum adhuc tamen dubium superest, quidnam cum caa cochymia, si eam primis, aut postremis tribus gestationis mensibus adesse contingat; an eam nimirum sic permittere expediat, vel potius contra Hip. tenum cum aptis ad id medicamentis expurgare? Quidquid præsumas, impingis. Si enim purgationem instituis, siquidem teste Galeno in Comment. dictis mensibus fætus ad uterum se habet, sicut fructus ad arborem, adeoque sicut hic antequam firmiorem pediculum noctus est, & postquam jam maturus evasit, ad levem quemque arboris motum facile decutitur, ita ille primis & postremis tribus mensibus utero ita leviter adhaeret, ut facilissimo negotio inde separetur, quoniam igitur purgantia corpus commovere, & ad excretionem stimulare solent, pericu-

lum manifestum est , ne sub illa commo-  
tione fætuum ipsum præcipitari contingat.  
Si verò eam intermitas , cacochymia  
funesta inferet. Quid , inquam , igitur  
in tali ambiguitate inchoandum ? & du-  
bium quidem istud non levis considera-  
tionis esse , quod si tamen ad ea nos refle-  
ctamus , quæ in priore hujus tractatus  
parte cap. 9. de purgantibus protulimus ,  
ca nimirum non omnia æqualia esse , sed  
alia valentiora , alia mitiora , ieu alia non  
nisi cum maxima vi , & corporis pertur-  
batione , alia verò clementer , & vix cum  
sensibili corporis commotione vim suam  
exterere , rem determinatu admodum  
difficilem non futuram. Non nimirum  
erit instituenda purgatio dictis illis primis  
& postremis mensibus cum violentis illis  
purgantibus , qualia ibidem adduximus ,  
& si materia non turgeat , neque conco-  
cta sit : bene tamen , si materia turgeat ,  
aut concocta sit , cum clementioribus ,  
& propter operationis suavitatem bene-  
dictis dictis , quorum plura pariter ibiden-

enarrata fuere. Sic sentit Christoph. à Vea  
 ga in Coment. super allegatum Hip. aph.  
 Juniora verò & seniora, quæ sunt trium  
 primorum mensium, & trium postremorum,  
 vitare oportet. Idem autem est, ac si di-  
 xisset eas purgandas non esse, nisi maximo  
 urgente usu; & ipsis in summo constitutis  
 periculo. Tunc enim purgare utero geren-  
 tes primis tribus aut postremis mensibus me-  
 lius erit, quam ipsas auxilio destitutas re-  
 linquere. Quibus parim nocere poterit,  
 ubi casus exposcat, manna, aut cassia fistu-  
 laris, aut Syrupus rosatus de novem infu-  
 sionibus rolarum persicarum, aut etiam  
 rhababarum. Item Petrus Forestus lib.  
 2. obl. Medic. obl. 28. in Scholio: Et  
 sic Hippocrates purgationes concedit in me-  
 dio tempore, quia tunc fortiores sunt, si  
 minis sunt periculosæ. Non tamen prohi-  
 bet alijs temporibus non posse fieri per leni-  
 entia. Sennertus lib. 4. Prax. p. 2. S. 5. &  
 c. 3. Quæst. 3. Riverius lib. 15. Prax.  
 c. 26. & alij.. Id quod etiam persuadet  
 ipsa ratio à Galeno in Comment. supra al-  
 legatum superius Hip. aphorismum addu-  
 gat.

cta, propterea nimirum primis & postremis tribus gestationis mensibus non sunt purgandæ, gravidæ, quod purgationes corpus fortiter commoveant, adeoque factum tunc temporis utero minus fortiter adhaerentem facile præcipitare possint; quod periculum igitur cum non sit metuendum ex mitioribus purgantibus, eorum usus, semper tutus erit. Quod vero Hippocrates tamen horum nullam fecerit mentionem, sed dictis tribus primis, & postremis mensibus gravidas purgare abolutè prohibuerit, factum est, quod suo tempore mitiora ista purgantia cognita non dum fuerint, prouti id perbellè notatum reliquit ad nostrum propositum Schenfelderus I. Hist. Med. hist. 32. Verum Hippocratis tempore purgantia erant validiora, & verè Cathartica, uti aloe, Colocynthis, scammon. turpethum, &c. que gravidis non poterant propinari absque vita periculo. Nostri autem ætate medicamenta sunt benigniora, atque innoxia, utpote manna, cassia, tamarindi, rhabarab. sen-

na, agaricus, & alia mitiora composita, qui  
bus nostræ Officinæ abundant. Rationi  
accedit experientia, veluti quâ scimus  
gravidas quocunque gestationis tempore  
non contemnendas diarrhæas citra abor-  
tum pertulisse. Imò certam Holpitilam  
toto gestationis tempore ferè quotidie  
pluries biliosa vomuisse, & per secessum  
excrevisse, & tandem tamen advenien-  
te legitimo partûs tempore feliciter pepe-  
risse, atque tunc primò à dicta illa biliola-  
tum diarhæa, tum vomitione tandem  
liberam evasisse. Alias verò fortissima  
purgantia, & læpe quidem præcisè ad fæ-  
tum expellendum, assumpsisse, & tamen  
non abortivisse. Quod si igitur arti li-  
ceat immitari naturam, licebit, necessi-  
tate id exigente, leves saltem expurgatio-  
nes, quocunque etiam gestationis tem-  
pore in prægnantibus instituere, etsi in  
primis & postremis tribus cum majori,  
quàm intermedijs, in quibus fætus utero  
firmius annexus facile non præcipitatur,  
mensibus cautione.

Neque dicas, ex hoc sequi ad imitationem naturæ posse gravidas quocunque gestationis tempore etiam cum violentissimis tutò expurgari, eò, quòd juxta allegata naturam ipsam illud, concitando quandoque maximas diarrhœas, innoxie practicare videamus. **R.** enim, quòd, etsi nos quidem in securis natum liberè imitari possimus, non ita libere tamen facere audeamus in dubijs, aut periculosis, quales sunt diarrhœæ illæ allegatae, vi Hippocratici illius §. aph. 34. Mulieri uterum gerenti, si aliud multum fluat, periculum est, ne abortiat. Quòd vero quæpiam tamen fuerint repertæ, quæ cas innoxie superarunt, id potius earum naturali robori est adscribendum, quam imitandum. Natura enim te insuis operationibus moderari jam novit, propterea ab Hip. i. de natur. fac. *Justa* vocata, nos verò non ita, utpote solum per conjecturam, sæpen numero valde fallibilem, quantum illa tolerare possit, vix coniicientes. Naturæ enim operatio, uti

habet Gal. apud Valleriolam, *ipla per se ineffabilis, recondita, longeque nostrâ cognitione profundior est.* Atque adeò licebit eam quidem in tantum imitari, ut in calu magnæ necessitatis quocunque etiam gestationis tempore purgantibus utamur, sed non violentis illis, & corpus plurimum commoventibus, verum mitioribus solùm, qualia sunt, quæ in priorre hujus tractatus parte c. 9. inter mitiora recensuimus, & ex ijs parabilia; exceptâ solâ *aloe*, & *cassia* propter ibidem allegatas rationes. In specie verò censetur convenire *rhabarbarum*, utpote simul astringente vi pollens, cum *conservarola rum* ad 3*j* permistum, aut aliter usurpatum. Atque, quò istud adhuc cum minori periculo fiat, purgationis tempore factum cum omni solicitudine roborabimus, applicando Matris umbilico vel pomum *cydonium* cum *mastiche*, *coryaphyl nuc. molc. theriac.* aut si febris adsit, *corall myrtil.* & *spec. diarrh.* *Ab.* repletum, & deluper in cineribus assatum, aut carnen bube

bubulam semiassam cum jam dictis aromati-  
bus, & balsam. embrionis perisperlam, aut pa-  
nem tostum, malvatico prius intinctum, &  
deluper cum ijsdem aromatibus perisper-  
sum. Qualium usus est etiam tempore  
sanguinis emissionis necessarius. Et ista  
etia de purgantiū in gravidis legitimo usu.

Quid verò de vomitoriorum usu in  
ijsdem gravidis sentiendum, jam su-  
periùs cap. 15. insinuatum est: eorum  
nimirum violentiora quoque graviditi-  
tati obesse posse, adeoque non facile  
esse usurpanda; bene verò mitiora, eò,  
quòd ad eorum utum nos ipsa etiam na-  
tura invitare videatur, in gravidis com-  
muniter, primis præsertim gestationis  
mensibus, spontè suâ frequentissimas vo-  
mitiones movens, adeoque quò & arte  
saltem cum mitioribus eam imitemur,  
nobis quasi viam monstrans.

Quod ipsum puta etiam de clysteribus,  
eorum nimirum quoque solùm lenientes,  
& ex mitibus conflatos, nullo modo ve-  
rò efficaciter purgantes, & ex acribus

confectos gravidis convenire, neque in ea, quâ aliâs injici solent, quantitate, sed minore, & in applicando fistulâ non supernè versus uterum, sed infernè versus os ischiatricum directâ, prouti id jam in parte prima hujus tract. cap. II. fusiùs ex Timæo deduximus, & illud expressis etiam verbis docet Lazarus Riverius Prax. Med. lib. 15. cap. 16. Evacuatio verò qua fit per clysteres non omnino tuta est, quia comprimendo uterum, potest abortum excitare. Ubi igitur illius opus fuerit, & in mulieribus assuetis huic remediorum generi, in minori quantitate componi debent, & ex ijs, quæ molliendi, & leniendi potius, quam validè purgandi facultate praedita sunt. Joannes Michaël Prax. Clinicæ p. I. lib. v Tit. 14. talem clysterem proponit, ut gravidis tutum.

**R.** decocti bord. & jusc. carnis vel pulli aa. cum flor. borrag. herb. pariet aa. M. ss. facti unc. vij addi mel. ros. vel sacch. Thomæ 3v vel unc. j vitel. ovi N. 1. M. f. clyster.

Amer.

A mercuriali herbâ tamen, tanquam mentes ciente, cavendum cenlet. Rod. de Castro juri pingui ol. amygd. dulc. facch. & vitel. ovi addit. & ad unc. x ad summum injici curat.

Suppositoria fortiora, seu acriora, comedim, quo acriores clysteres calculo in gravidis damnantur, prouti id etiam jam in parte prima hujus tract. cap. 12. adnotavimus: non ita tamen ex mitioribus, qualia sunt, quæ ex solo mel. vitel. ovi, & modico tale aut muscerdâ conficiuntur, composita. Quamvis Petrus Forestus tamen lib. 29. de morb. Mul. obs. 68. tali suppositorio in grida uetus sit:

R. pulu. hieræ picer. scr. ij cumin.  
pulu. scrup. ss sal. parùm, mellis  
q. s. M. f. suppositorium

Ratione sternutatoriorum sciendum est, ea errhinorum speciem esse, & ab eis alio non differre, quam operationis vehementia, id est, quod utrorumque quidem munus sit caput per nares expurgare, sed quod istam operationem sternutatoria

cum majore violentia perficiant, quam  
simpliciter errhina dicta. Quoniam igi-  
tur suo loco dictum est istam operatio-  
nem non citra abortus periculum in ute-  
ro gerentibus fieri, ubi caput in gravidis  
per nares erit expurgandum, id potius  
cum simpliciter errhinis dictis faciemus  
tanquam securioribus, etsi lentioribus,  
quam cum sternutatorijs.

Sed dices: prægnantes sæpius extra ster-  
nutatoriorum usum sternutare, & tamen  
propterea non abortire, ergo sternutatio  
non videtur eis admodum esse noxia.  
R. istud quidem omnino contingere,  
interea tamen non sequi, illud ipsum per  
artem tentari innoxiè posse; prouti enim  
non pridem diximus, natura justa est, &  
sibi novit in suis operationibus tempera-  
re, id quod verò nos non semper facere  
scimus, & propterea in ea, saltem in pe-  
riculosioribus imitanda, temerarij esse  
nunquam debemus.

Diuretica ipsis etiam gravidis exhiberi  
in necessitate innoxiè, posse docet qui-  
dem

dem propriâ experientiâ Joan. Hellwigius  
in obit. suis Medic. obit. 116. quod ipsum  
confirmat apud eundem etiam Lucas  
Schröckius in Scholio, & ab eodem ibi-  
dem citatus Thiermairius lib. 1. Consil.  
Med. cap. 12. in Scholio. Imò Thul-  
pius lib. 4. obit. Med. cap. 26. inter cœte-  
ra fortissima diuretica ipsas etiam cantha-  
rides gravidæ ilchuriâ undecim dierum  
detentæ feliciter fuisse exhibitas memorat  
his verbis: *Quem profecto inopinatum e-  
ventum ecquis non miraretur in muliere  
prægnante? quæ præter sectam tali venam,  
nuda insedit balneo, & cui innocè data fu-  
re, non solum fabarum, ononidis, succini,  
ac prunellæ salia, verùm etiam cantharides  
aliaque potentissima remedia urinæ procu-  
randæ destinata, quorum usu licet non fæ-  
tum, excrevit tamen die undecimo tum cal-  
culum, tum lotium, recuperandæ sanitati  
summè necessarium, quam etiam id tempo-  
ris integrè adepta fuit.* Periculosa tamen-  
ca esse, præsertim vehementiora illa,  
quales sunt cantharides præterquam,

quod ipse ibidem confiteatur, Thulpius:  
Cavesis tamen quisquis es, gnarus sciensque  
banc viam ingrediaris, neu lubice pra-  
gnantes tam periculose aleæ, ratio ipsa fa-  
cile convincit: ut taceam enim, quod diu-  
retica, teste vel ipso Gal. loco superius à  
nobis cap. 15. hujus partis citato, cum  
menses centibus maximam habeant affi-  
nitatem, imò juxta alios etiam ipsos men-  
ses ciere valeant, consequenter, & fa-  
tum expellere; si purgantia fortiora, cly-  
steres, iupofitoriaque acriora ex eo po-  
tissimum juxta antè dicta in gravidis pro-  
periculosis habentur, quia naturam ad  
excretionem violenter stimulant, tormi-  
na inducunt, & universam naturam ve-  
hementer commovent, quâ ratione diu-  
retica minùs periculosa centebuntur;  
cum ea idem ipsum non cum minori  
violentia faciant, quam illa, præsertim si  
validiora illa sint, ut dictæ cantharides.  
Imò quoniam ausu quis ad cantharidum  
usum in gravidis induci posset, non vi-  
deo, eò, quod Hip. lib. 1. de morb. Mul-  
cas

cas pro mensibus, secundinis, & fætu  
mortuo educendis expreſſe proponat.  
Mitiorum tamen uſum urgente necessita-  
te, & præterim intermedijs illis, quibus  
fætus firmius utero adnexus ab eo facile  
non avellitur, gestationis mensibus non  
omnino esse reprobandum, testis est non  
ſolum Riverius Præc̄os Med. lib. I 5. cap.  
16. diuretica verò, quia menses quoque mo-  
vere apta ſunt, debent eſſe ſuſpečta; & ſi  
morbi neceſſitas aliquando eorum uſum poſtu-  
let, leviora erunt eligenda. Verū etiam  
Tiermairius loco ſuperiū citato, in eum  
ſinem therebintinæ uſum tanquam adæ-  
quatum nephritidis remedium, & vel ip-  
ſis etiam gravidis ſecurum proponens.  
Cujus uſum quoque ibidem in historia  
citata propriâ experientiâ comprobat  
Helliwigius in grāvida circa ultimos geſta-  
tionis menses nephriticis dolorib⁹, &  
iſchuriā novem diali gravissimè afflcta.  
Eā igitur in caſu neceſſitatis ad lubitum  
uti licebit, additis ei etiam alijs mitiori-  
bus appropriatis, uti ſunt oculi 69. te-  
men

men malu. 4. frig. maj. cicerum rub. lap. judaic. & similia lithontriptica, quorum usum tanto securiorem censere licet, quanto certior videtur doctrina Danielis Sennerti in Instit. Med. cap. de lapidem frangentibus; eorum, scilicet lapides dissolvendi vim non tam à partium tenuitate, aut aliá quāpiam manifestā qualitate dependere, quām à virtute occultā, peculiariter eorum coagulationi oppositā.

Sic Petrus Forestus de renum morbis lib. 24. obs. 25. sequentibus gravidam octavo gestationis mense calculo ita prefigam, ut mingere nequiret, feliciter curavit.

**R.** pariet. virid. Miiij, chærefol fol. malu. melilot. aa. Mj. cymin parūm pulu. m. ss. Fiat, sacculu quadratus, & interlutus, qui vino alperso calidè pectini apponatur Postea, cum hoc non juvaret, etiam tale cataplasma appositum fuit:

**R.** Parietar. virid. M. iv. cui butyro fricta pectini cataplasma instar calidè imponatur Pre-

Præterea :

R. sem. malu. althæ. aa. 3ijj, ci-  
cerum rub. unc. iij. Caricar. num.  
v. bord. mund. unc. ij. sem. 4. frig.  
maj. aa. 3ijj. sebesten num. ix. li-  
quir. ras. 3vj. coquantur in aq.  
com. lib. iv. ad medietatem, & u-  
surpetur colatura ad lubitum.

Ex quibus urinam minxit, & duos calcu-  
los citra fætūs offendam excrevit.

Alteri fæminæ verò quoque gravidæ,  
& dyluriâ stranguriâque laboranti idem  
l. 28. de morb. Mul. obi. 68. feliciter ta-  
lem cerevisiam medicatam præscripsit:

R. rad. malu. unc. ss fol. malu. m.  
I. sem. anis. 3iss bord. mund. p. I.  
sem. 4. frig. maj. sem. papau. alb.  
aa. 3j. coque in cerevisiæ lib. I.  
& bibatur.

Roderic. à Castro lib. 3. de morb. Mul.  
c. 15. aliàs in tali castu, si mulier jam sit  
prope partum, balneis, & fomentis e-  
mollientibus utitur.

Joan-

Joannes Michaël, verò si alia non pro-  
sint, planè Catheteris usum admittit.

Ex quibus tandem abundè apparet,  
licet esse quidem etiam in gravidis diu-  
reticorum usum, sed non quorumcun-  
que promiscuè, verùm mitiorum solùm,  
& citra magnam vim operantium.

Sciendum tamen est, tæpe urinam in  
prægnantibus supprimi ob colli vesicæ ab  
utero compressionem; quo quidem in  
casu mulier uterum utrâque manu mode-  
stè sublevando urinam emittere debet.

Sed dices, diuretica saltem fortiora,  
& propriè dicta talia ab utero potius re-  
vellere, & ferositates, ex quibus facile  
lubricus factus uterus, vi Hippocratici il-  
lius 5. aph. 45. Quæ verò mediocriter cor-  
pullentæ abortum faciunt secundo mense,  
aut tertio sine occasione manifesta, ijs ac-  
tabula uteri mucoris luteæ plena, nec pre-  
pondere fætum continere possunt, fætum di-  
mitteret, ad vesicam derivando gestatio-  
nem potius conservare, quam abortum  
procurare, adeoque eorum usum eti-  
am

etiam fortiorum non debere haberi protam formidoloso. Verum R. quod etsi etiam admittatur, quod diuretica propriè dicta talia per se, & absque hæmagogorum permisitione usurpata ab utero potius revellant, quam mentes moveant, ex eo tamen non bene concludi, fortissima illa prægnantibus esse tuta: etsi enim non obessent gestationi quam diuretica, obesse tamen facile possunt, quam naturam potenter ad excretionem irritantia. Propter quam igitur causam, si purgantia fortiora, clysteres, vomitoria & suppositoria acriora, censentur esse prægnantibus insecura, quid non insecura etiam habenda erunt diuretica fortiora? Est vero diureticorum, & menstrua pellentium teste Rod. à Castr. l. I. de morb. Mul. c. 4. ea diversitas, ut quæ urinas movent, sudoresque proliciant, sicca sint, & tenuis materiae, talia enim humores dissolvunt, atque balitu digerunt, cutem rarefaciunt, & pores ejus, aut imi corporis, prout in hanc, aut illam partem corpus inclinat: At quæ pre-

propriè menses evocant, in medio horum consistunt, sicca quidem, sed moderatè.

In diæta denique, seu victus ratione, quandoquidem ea, prouti jam aliàs diximus, non uniusmodi est, sed alia plena, alia mediocris, alia tenuis: tenuis econtrà fætui sufficiens nutrimentum non suppeditando, graviditati obesse potest, cù numquam in gravidis utemur, etsi ob præsentiam alicujus acuti morbi etiam ejus indicatio adesset: *victus enim tenuis, sicut habet Hip. I. aph. 4. atque exquisitus in morbis acutis, ubi non convenit, periculosus.* Sed ejus loco mediocrem instituemus, & hoc tantò magis, quò factus grandior, & partui vicinior, ac per consequens pro sui nutritione copiosiore alimento indigens erit; ut nimirum tali modo partim nos accommodemus fætui pleniorē, partim verò morbo tenuicrem victum exposcenti. Quamvis in re ipsa *victus ille, etsi de se mediocris, in tali casu non mediocris, sed tenuis erit,* ut h

ut pote eo, quo talis viētus tenuem superat, in fætūs nutrimentum absumpto.

Ex quibus demum omnibus perbellè, uti puto, apparet, qualiter quoque cum remedijs ratione quorum inter affectus utero gerentibus accidentes, & ipsam uteri gestationem contingunt complicaciones mediante artificiosâ remediorum electione, & astuto eorundem usu circumire oporteat, absque eo, quod inde illa fætui emergat offensio.

## C A P U T   X V I I .

*De morbis in specie cum puerperio complicatis.*

Qualiter se cum mulieribus post transactum gestationis tempus res habeat, & quæ eis tunc non gravidis non communia accidere soleant, non solum in lib. de Nat. pueri & de Morb. Mul. scriptum reliquit Hippocrates, verum illud ipsum etiam à nobis partis hujus 2dæ cap. 1. pluribus recensitum est, ut proinde in hoc B. Lectorem hîc ulterius detinere su-

perfluum fuerit. Quin potius eum ex  
 ibidem dictis, saltem supponere sufficiet,  
 puerperas longè pluribus, quam cæteras  
 fæminas affectibus tubiacere, & illis diffi-  
 cilius curabilibus. Pluribus quidem  
 quod quam plurimi eis ratione partus,  
 plurimi ratione eorum, quæ partum con-  
 sequuntur, cæteris fæminis non commu-  
 nes abueniant, uti id videre est pluribus  
 in dictis libris apud Hip. Curatu difficilio-  
 ribus: quod eorum quamplurimi talibus  
 remedijs ad sui curationem opus habe-  
 ant, quæ puerperis ratione lochiorum,  
 quæ partum tamen adeò necessariò con-  
 sequuntur, ut ad quamcunque eorum  
 læsionem, taceo, omnimodam suppre-  
 sionem puerperam ex sententia Hip. de  
 Nat. pueri, bene valere sit impossibile, plac-  
 nè inconvenientia sunt. Ut proinde non  
 inconvenienter lib. I. de morb. Mul. ex-  
 clamârit idem Hip. Custodiâ, & scientia  
 multâ opus est mulieribus, ut in utero ge-  
 stent puerum, enutriant, & ut evadant al-  
 ipso in partu.

De omnibus quidem, & singulis hisce  
in praesenti tractandi occasio esset: ne in  
alienam tamen messem nostram falcem  
immittere videamur, & propositum no-  
strum, quod est praeceps de complicatis  
agere, transgredi, penes iolos eos mane-  
re conabimur, qui puerperis accidentes  
cum puerperio complicationem aliquam  
habent, quemadmodum eam habent  
omnes illi, quicunque ad sui curationem  
tale aliquod remedium postulant, quod  
puerperio nocivum est, & per conse-  
quens Methodo ordinariâ recte percurari  
non potest.

## CAPUT XVIII.

*Circa quæ potissimum contingit affectu-  
um puerperis accidentium cum puer-  
perio Complicatio?*

EOs affectus habere cum puerperio  
complicationem, qui puerperis ac-  
cidentes tale aliquod remedium pro sui  
curatione postulant, quod puerperio no-  
civum esse valet, recte jam in calce mox

exacti capitum memoratum est; in præsen-  
ti ergo dispicere superest, quænam illa re-  
media in specie sint, quæ à morbis puer-  
peris accidentibus indicata puerperio  
obesse valent: hoc enim sic cognito scire  
postea facilè erit circa quænam potissi-  
mum contingat affectum puerperis acci-  
dantium cum puerperio complicatio?  
Circa ea nimirū, quæ ab affectibus puer-  
peris accidentibus indicata puerperio,  
ne ritè procedat, nocere valent. Jam  
ergo, quæ tandem illa in specie sunt?  
Respondeo, quòd (quantum quidem ex  
affectuum tunc accidentium curationi-  
bus colligere licet) potissimum duo illa  
communiter magna dicta remedia: venæ  
Sectio, & purgatio, quibus tamen eti-  
am adiçere licet, astringentia, & refri-  
gerantia. Ratio verò est, quòd rectè ista  
quatuor sint præcipua, quorum frequen-  
tior est in curandis puerperis accidenti-  
bus affectibus usus, quæ tamen singuli  
puerperio de se nocentissima sunt: pur-  
gatio scilicet naturam ab utero ad aluum  
avo.

avocando. Venæ Sectio in superioribus partibus, ( quemadmodum id sæpius esse necesse postea videbitur ) celebrata sanguinem lochialem deorsum aliàs tunc tendentem, & per uterum lege naturæ expurgandum ad superna revellendo. Astringentia, & refrigerentia verò non solum sanguinem eundem incrassando, condensando, figendo, & taliter ad fluxum ineptum reddendo, verùm etiam vaſa ipsa, per quæ is effluere deberet, constringendo, & quasi occludendo. Quotiescumque igitur horum alicujus in puerperis occurret necessitas seu indicatio, toties Medicum de complicatione, seu difficultate, quæ ex eorum non rectè instituto usu emergere valet, eludenda, sollicitum esse oportebit.



## CAPUT XIX.

*De legitimo remediorum, circa quæ contingunt affectuum puerperis accidentium cum puerperio complicaciones, usq.*

**C**ognitis ex antegresso capite illis, circa quæ contingunt affectuum puerperis accidentium cum puerperio complicaciones, aliud super non est, quam quoque demonstrare, qualiter cum eis tuto procedere liceat, si quandoque in puerperis eorum necessitas occurrat.

Incipiendo igitur à venæ Sectione, dico, quod suppositâ ejus indicatione & necessitate, antequam illa instituatur, ad duo potissimum respiciendum sit, ad unum ex parte affectus ratione cuius dicta venæ Sectio esset instituenda, & alterum ex parte puerperæ, in qua memoria venæ Sectio esset celebranda. Illud est, ut probè peripiciatur, cujusnam naturæ sit affectus ille, an nimirum acutus, & quidem aut simpliciter, aut ex deciden-

dentia talis, vel peracutus extremēve ta-  
 lis, vel mitior & chronicus, adeōque vel  
 urgens simpliciter, cum morā tamen ali-  
 quā, vel absolutē urgens, & moram citra  
 evidēns ægrotantis periculum nullam  
 permittens, vel non urgens, adeōque ad  
 tam tempestivam curam Medicum non  
 cogens. Istud verò est, ut benè perqui-  
 situr in quōnam puerperij tempore ægra-  
 se reperiatur; an nimirum primò mox in  
 principio, id est primis diebus, seu in pri-  
 mo octiduo, vel tardiūs, aut planè in jam  
 ferè transacto puerperio; adeōque lochijs  
 vel parùm adhuc expurgatis, vel jam ut-  
 cunque, vel omnino jam ferè expurga-  
 tis; & si parùm adhuc expurgatis, an actu  
 tamen adhuc fluentibus, & quā quanti-  
 tate fluentibus: an in sufficiente, & na-  
 turali, vel in quantitate imminuta, aut  
 ijs omnino jam fortè suppressis? Hæc  
 singula enī venæ Sectionis usum pluri-  
 mū variant, & propterea etiam spe-  
 cialem sui considerationem merentur.  
 Quòd si enim morbus sit peracutus, præ-

tertum extremè talis, qualis est E. G. ferocissima illa anginæ species, quæ planè intra 24. horas quandoque hominem è medio tollit, vel saltem quartum vix transcendit, ferocissima subinde pleuritis, phrenitis, Epilepsia, apoplexia aut similes urgentissimi affectus, tunc siquidem tales omni alii, quantacunque illa etiam sit, contraindicationi prævalere censeantur, sine ulla tergiversatione, aut scrupulo, qualitercunque se etiam habeant lochia, & in quocunque puerperij tempore existat ægra, sanguinis missio, quæ tunc indicatur, è venis parti affectæ proximioribus, adeoque superioribus fieri debet, ad mentem Riverij praxeos Med. lib. 15. cap 24. Amati Cent. 1. Curat. 34. Zacut. Lusit. lib. 1. de princip. Medic. histor. hist. 77. & ab eo citati Valleriol. 5. obs. 10. Joan. Fernelij, qui lib. 2. Meth. Med. c. 8. id planè etiam in febre ardente praticandum censet, & aliorum. Et ratio est, quòd tunc extreum adsit periculum, adeoque alio non, quam, te-

ste Hip. I. aph. 6. extremis remedijs curandum. Aliunde aperta in pede vena ex parte affecta, & sanguinem immediate peccantem evacuare posse vix videtur, nisi primò successivè ( id quòd verò talium acutissimorum affectuum urgentia non permittit ) & plurimo priùs inculpato educto sanguine ; ergo præstat dictam evacuationem potiùs ex venis superioribus instituere, quàm inferioribus : quemadmodum istud sentit etiam Calparus à Reies in Campo suo Elys. Jucund. Quæst. Q.77. num. 19. Verùm si urgentia adeò magna est, ut citissimè remedium expostulet, sive lochia debitè, aut diminutè fluant, vel endem die inferiores, & superiores venas tundes, vel si vehementer necessitas urgeat, statim ex brachijs sanguis mittendus. Ne sanguis per id tamen sursum revulsus lochialem purgationem divertat, licebit cum cucurbitulis interea temporis, dum sanguis mittitur, cruribus admotis, ligaturis, frictionibus, fomentis, & similibus, sicut id in simili, tempore sanguinis in su-

perioribus actu fluentibus mensibus emis-  
sionis, faciendum fuasimus, pro possibili  
præcavere.

Non ignoro equidem alios aliter pra-  
cticare, qui licet quidem etiam admit-  
tant in tali casu sanguinis missionem in  
brachio, tamen putant eam non prius ibi  
esse instituendam, quam postquam san-  
guinis missio etiam iteratò in pede facta  
advertisit affectui non profuisse: hoc ta-  
men non obstante centeo esse tenendum  
cum illis, qui eam mox in brachio ex ve-  
nis parti affectæ vicinioribus instituendam  
statuunt, & postea primò, postquam ma-  
xima illa morbi vehementia per factam  
ex dictis vicinioribus venis sanguinis eva-  
cuacionem jam ut plurimum repressa fuit,  
in pede. Et profectò, si per sanguinis  
missionem in brachio debent in pericu-  
lum coniisci lochia, potius videtur illud  
esse faciendum mox in principio, dum  
ex urgente morbo majus adhuc pericu-  
lum timetur, quam postea, postquam  
istud jam imminutum est. Sed lochijs

sic magis consulitur, quæ interea jam magna ex parte evacuantur? Transeat: econtrà morbus interea ægram interfice posset, siquidem per illam in pede sanguinis missionem ei omnino satisfieri, & ab ipsa parte affecta sanguis revelli non posse videtur, taltem citra maximum viuum dispendum.

Aliud esset, si affectus, propter quem fieri deberet sanguinis missio, esset mitior, & admodum non urgens, ponamus, simpliciter acutus aliquis, aut planè ex decidentia talis, quales sunt, qui ante 14. diem, 20. vel planè 40. non terminantur; aut esset quidem ex genere peracutorum, sed primò incepisset, & nondum eo usque increvisset, ut ad tam periculatum, qualis est in tali casu in superioribus celebrata venæ Sectio, remedii Medicū cogeret: tunc enim ad lochiorū expurgationē potissimum omnino esset respiciendū; num nimirum illa ritè procedat, vel non ritè, sed diminutè procedat, aut planè forte jam cessaverit; ac si deprehendetur

tur ritè procedere, an tamen affectui illi satisfaciat, nec non? Atque si videtur non satisfacere, tunc etsi etiam naturalissimè procederet, oporteret ex aliqua in pede patentiore vena tantùm sanguinis educere, quantùm ad satisfaciendum urgenti affectui necessè esse videretur. Quod ipsum esset etiam, & multò magis faciendum, si lochia imminutè profluerent, aut planè jam substitissent. Quin imò, uti postea dicemus, expurgatio illa lochiorum, etiam alijs ad id aptis remedijs, quantùm unà concurrens affectus permittere putaretur, foret promovenda.

Si lochiorum verò ritè tunc fluentium expurgatio sanguinis missionem exigenti affectui per se satisfactura videretur, tunc ratione sanguinis missionis juxta illud Hip. i. aph. 20. quæ enim judicantur, & judicata sunt perfectè, ne moveto, sed finito, totum negotium naturæ esset permittendum, solum, quò sic debitè expurgatio illa ulteriùs continuaret, prospiciendo.

Quod

Quòd si denique affectus ille esset fortè planè chronicus, adeoque saltem ratione moræ non admodum urgens, quin commodius curationis tempus expectare liceret, tuhc ex parte ejus præstaret nullum lochijs suspectum remedium pro tunc in usum vocare, sed potiùs commodius illud tempus expectare. Dummodo enim lochia in tali casu ritè procedant, facile quid deteriùs non est metuendum. Quòd si lochia autem fortè aut imminutè fluentia, aut omnino, sed ante tempus, suppressa venam secundam suaderent, illud in pede faciendum foret, & non in brachio, ob lochia in tali casu magis urgentia, & propterea curam ad se trahentia. Et ista breviter de recto primi illius, circa quod in puerperis contingere complicationem diximus, remedij Venæ Sectinis usu.

Nunc quid de purgantibus, si eorum occurreret necesitas, sentiendum.

Est autem purgatio propriè non sanguinis, sed cæterorum in corpore pec-  
can-

cantium humorum, seu cacochymia indicatum, cuius necessitas in acutis & quidem, ac in chronicis occurrit: purgandum in valde acutis, si materia turget, eodem ipso die 4. aph. 10. Magis tamen propriè eam deberi chronicis quam acutis, affectibus non solum luculentemente constat ex Hip. 1. aph 24. In acutis morbis raro, & in principio medicamentis purgantibus utendum, idque diligenter antea adhibitâ circumspectione faciendum. Verum etiam ipsa ratio, & eorum genealogia satis convincere videtur. Eò, quod acuti plerumque, & potissimum sanguini præter naturam fermentato suum oratum debent, qui de se purgatione non indiget, sed venæ Sectione, prout quantitate peccat, diminutivâ, prout qualitate, ventilativâ; licet intervenientes, quandoque alij humores præcipue bilis una quoque concurrant, & sanguinis illi ebullitioni & fermentationi primam tæpe, & præcipuam anslam, præbeant, qui proinde, si turgeant, quoque quamprimum veni-

veniunt expurgandi. Chronicī verò à ca-  
cochymia potius procedunt, & proinde  
purgantibus potius, quām venæ Sectione  
expugnantur, quemadmodum id eorum  
curationes passim demonstrant. De his  
igitur si eorum necessitas in puerperis o-  
currat, videndum.

Et dico quidem, quod in usu eorum ple-  
rumque ad puerperij tempus recipiatur,  
& lochiorum fluxum; atque si purgatio-  
nis necessitas occurrat mox à partu & lo-  
chijs adhuc sub specie sanguinis fluenti-  
bus, E. G. circa diem 3. 4. 5. ferè usque  
ad 9. aut 10. ea plerumque pro tunc in-  
termittitur, atque prævalentia urgentiæ  
lochiali fluxui attribuitur, neque admit-  
titur purgatio, priusquam elapsi fuere sal-  
tem 8. vel decem dies. Neque cura puer-  
peræ alia interea habetur, quām, ut illa  
in apta diæta conservetur, & in continuo  
illo lochiali fluxu detineatur: & propte-  
rea non solùm jubentur puerperæ sibi ca-  
veré ab omnibus quæ fluxum illum in-  
terturbare possent, præcipue à frigoris tum

extranei admissione , tum frigidorum introsumptione , verū etiam talia eorū & jūsculis & potui ordinariō incoquuntur , quæ dictum illum fluxum in jugi continuatione conservare valent , qualiter nostratibus obstetricibus in usu sunt communiter baccæ lauri , & flores macis , aut cinnamonum . Imò si ille non ritè procedit , cum valentioribus promovent . Neque immeritò ; ad id enim , quod magis urget semper est attendendum . Videntur verò lochia ex duplice motivo respettu cacochymiae magis urgere . Primo enim teste Hippocrate lib . de Natura pueri , hoc ipso , quòd puerperæ lochia deficiant , eam ægrotare est necesse , & planè vitæ periculum subire : si enim non purgetur mulier à purgationibus partus , morbus magnus ipsam corripiet , & periculum vitæ incurrit , nisi citò curetur , & quis convenientem ipsi purgationem inducat . Non sic verò ex aliquot diebus , in corpore retentâ cacochymia propterea non facile repentinæ mortis , sed diuturnorum mor

morborum causâ. Secundò, quod hoc ipso, quod lochia ritè procedant, ipsi etiam cacochyiae consulatur, utpote, quod per ea non solum sanguis, verum etiam alij quicunque tempore gestationis in corpore aggregati humores expurgentur, adeò, ut plerique etiam morbi tempore gestationis adhuc exorti ex hac causa tandem in partu solvantur. Unde tanta non videtur necessitas illius cacochyiae, quin in commodius tempus, & usque dum lochia jam ut plurimum fluxerunt, aut omnino celsarunt, differri possit. quemadmodum id jam sapissime feliciter practicavi ipse Ego, & in specie primò nuper in Chyrothecarij uxore mox primis diebus facta arthritica cum brachiorum contractura.

Sed quid si materia turget, adeoque ne illa vel in partem aliquam nobilem repente delata formidolosi quid inducat, vel morbum ipsum per moram in corpore effeta adhuc magis exacerbet, periculum adsit, quemadmodum id contingit

in acutis, & propterea tunc purgandum  
esse adhuc eo ipso die docet citato lib. 4.  
aph. 10. Hip. & differre in talibus esse man-  
dum? dico in tali casu posse quidem, & de-  
bere purgari, quemadmodum id rursum  
exprimit docet lib. 1. de morb. Mul.  
idem Hip. & si turget, pharmacum infra  
purgans bibendum dato, si biliosa fuerit,  
quod bilem purgat: si pituitosa, pituitam.  
Sed ut idem ipse monet 1. aph. 24. dilig-  
enti cum circumspectione, & cum medi-  
camine aliquo leviore, neque universum  
corpus commovente, non verò fortiori  
aliquo. Cum enim turgens illa materia  
in primis dictis vijs contineatur, nec se-  
cundam saltem corporis regionem facile  
transcendat, promptissima etiam ad mo-  
tum sit, imò in continuo quasi motu sit,  
fortioribus illis non indigebit, sed ceder  
levioribus lochiali fluxui facile vim, aut  
nocumentum non illaturis. Talia sunt  
rhab. manna, cassia, tamarind. fol. senf.  
agaricus, syr. rosar. & viol. solut. flor.  
persic. pruna, & passula laxativa & simi-  
lia.

lia, quamvis istis pro majori cautione insuper aliquid de ijs, quæ lochia simul respiciunt, addere consultum fuerit, ut sic nimirum unâ fideliâ duo, uti dicitur, mulier dealbentur, expurgetur scilicet turgens illa materia, & lochialis fluxus promovatur, vel taliter non interturbetur. Joannes Michael de morb. puerarum Tit. xij tale medicamentum proponit:

R. fol. sen. 3i ss rhab. scr. ss mac. gr.  
iiij infund. in decoct. prunor. exos-  
sat. manè parùm bulliant, & colat.  
bibatur.

Cui etiam echoenanti, à cuius usu ipsâ etiam febre presente non abhorret Forestus, si lochia simul respicere foret animus, aliquid addere liceret. Vel substituantur horum loco clysteres mitiores, E. G.

R. decoct. emol. lib. j elect. lenit,  
flor. cass. aa. 3vj lacch. thom. unc. j  
vitel. ovi num. j M. F. clyster. vel

Accipiatur simpliciter jus carnis maluâ, mercuriali & chamom. alteratum & addito lacch. thom. atque vitello ovi f. cly-

ster. Sic enim quoque sit materiæ illius turgentis ad inferiora aliqualis revulsio; imò quod tales clysteres simul uteri vias laxent, major lochiorum promotio.

In simplici alui diurniore obstructio-  
ne nostrates fæminæ etiam primis tribus,  
aut quatuor diebus passulas minores in  
aqua melissæ insulas esitant, & alum  
feliciter sibi aperiri citrà aliud incommo-  
dum experiuntur. Vel utuntur supposi-  
torijs mitioribus. Et tantùm quoque de  
purgantibus in puerperis usurpandis. Plu-  
ra vide si lubet, apud Casparum à Reies  
Quæst. 74. num. 19. usque ad num. 27.

Assumamus nunc refrigerantia, quo-  
rum multum usum quoque in puerperis  
esse suo modo suspectum esservimus. Sci-  
endum verò est ferè nullius remedij toties  
in puerperis ægrotantibus indicationem  
occurtere, quàm rectè horum, utpote,  
quòd nullum ferè morborum genus adeò  
commune puerperis sit, & ex quo adeò  
periculose decumberent, quàm ex febri-  
bus propriè refrigerantiuni indicativis.

Ne

Neque hoc sine causa; tempore gestationis enim quam plurimæ particulæ heterogeneæ, & maximè fermentiscibiles in corpore non solum ob saepe depravatam interea temporis ( quo mulierculæ ferè omnes, totum sibi licere, temerè autuant ) diætam, verùm etiam ob retenti circa uterum tanto tempore menstrui sanguinis non totaliter in fætus nutrimentum insumpti stagnationem generantur, extra illud tempus aliàs singulis lunationibus per menstruum dictum fluxum tempestivè evacuari solitæ. Quid ergo mirum, si eæ in partu commotæ, vel mox tunc in actum, præcipue si partus sit præternaturalis, deducuntur, & febriliter effervescunt, cæterumque sanguinem unà inficiunt; vel tardius, si exanimatum tempestivè è corpore, quâcunque tandem viâ non eliminentur? Eliminantur verò communiter per uterus tanquam viam à natura specialiter ad id destinatam mediante fluxu, quem lochialem dicimus. Hinc etiam videmus eas

mulieres, quibus lochia rite procedunt, ut plurimum bene se habere, his vero deficientibus quamprimum male, adeo ut re vera in alio eorundem curatio ferè consistere non videatur quam in horum tempestiva reductione, quemadmodum id jam superius ex Hippocrate probavimus, & ulterius ex eodem legere est lib. I. de Morbis Mul. si vero purgatio ipsi eruperit, sive à pharaco, sive sùa sponte; sit enim & hoc, si uteri os laxarint, à sanguini acervatim derepente delato coacti: & si eru perit, graveolentia purulenta depurgantur quandoque etiam nigra, & melius habebit, & curata sanescit. Contingit quidem depuratio ista quandoque etiam per al vum, sed raro, & cum majorè periculò Postea 5. aut 7. die quandoque veneer tur batur, & secedunt nigra, & valde graveolentia, alias atque alias, & urina velut asinina, & si secesserint, videtur sibi melius habere, & curata brevi sana fit: si minis, periclitabitur profluvio ventris foras ipsi illato. Et ructus: si vero venter ip-

non turbetur, neque purgatio prodeat sua sponte, neque ea, quæ commoda sunt, brevi exhibeantur, tempus autem progrediatur, multò magis ex prædictis affligetur. Tentæ in tali casu particulæ illæ heterogeneæ ad cæterum corpus regurgitant, sanguinem unà inficiunt, corruptunt, & in effervescentiam præternaturalem, seu febrilem concitant, adeoque febrem putridam inducunt, à Thoma Willisio propter enormia, quæ tunc accidere lent, symptomata inter malignas numeratam. Quandoque etiam planè contingit, ut in effervescentia illa, & ebullitione, sanguis adeò rarefiat, ut ipsa etiam vasa alicubi perrumpat, extravaseretur, & sic symptomaticas illas dictas febres, pleuritidem, anginam, phrenitidem, pneumoniaem, hepatitidem aut similia inducat, vel aliter corruptus, aliòve translatus alia symptomata, ut diarrhæam, dysenteriam, epilepsiam aut quid simile causet; ad quæ si lochia priùs nondum omnino erant suppressa, ea supprimi pau-

lo post contingit, & præfata adhuc dete-  
riora evadere.

Unica illa febris species, febris lactea  
communiter dicta ex memoratis causis  
non oritur, sed cunctis cum puerpera se-  
ctiam quam optimè undique habentibus  
circa tertium, aut quartum, à partu diem  
tamen plerasque puerperas adoritur,  
præcisè nimirum ob sanguinem circa u-  
terum hæc tenus hærentem, & ex speciali  
DEi providentia ad fætum nutriendum  
deorsum deferri solitum, nunc verò sub-  
lato illo fætus in utero nutriendi fine per-  
vasa epigastrica sursum ad mammas regur-  
gitantem, & motu isto hæc tenus intueto,  
& priori contrario, sensibilem in toto  
corpore, & univera sanguinea massa  
mutationem atque accensionem introdu-  
centem. Quæ verò mutatio, seu febrilis  
ebullitio, dummodo lochia debitè interea  
procedant, & heterogeneas, atque ad  
effervescendum quam maximè præclives  
illas, de quibus suprà, particulas è corpo-  
re tempestivè educant, neque, quo in  
cor.

corpore retentæ cætero sanguini deteriore-  
 rem seu putredinalem aliquam diatesin in-  
 ducant, relinquunt, diu non perdurat,  
 sed pro levitate causæ intra triduum, qua-  
 triduum nœ circiter, vel etiam citius instar  
 aliarum synocharum oborto vel sponte,  
 vel arte procurato sudore plerumque per  
 se evanescit. Hinc nostrates mulierculæ,  
 ridiculè quidem, veraciter tamen in com-  
 muni proverbio habent puerperis usque  
 ad nonum diem sepulchrum apertum sta-  
 re, & laxum, seu cooperimentum sepul-  
 chrale unicæ stramineæ paleæ esse inni-  
 xum: si nempe febris jam dicta lactea  
 feliciter, & citra accessum alterius cujus-  
 piam putridæ, quod intra novemdium or-  
 dinariè contingere solet, terminetur,  
 tunc non habent, quod ulterius sibi adeò  
 timeant, cò quod intra id temporis jam  
 potior lochiorum pars sit evacuata, secùs  
 verò si contrarium accidat, & interce-  
 ptis, aut saltem diminutis interea lochijs  
 sanguis ille, qui cum lochiali fluxu eva-  
 cuari per uterum deberet, in corpore re-

tineatur, ad cæteram sanguineam massam sursum regugitet, & ob putridas, atque specialiter corruptas, quibus totus icatet, particulas heterogeneas, quoque putredinalem ei labem inurat, tunc enim inter cætera gravissima accidentia febris putreda acuta, vel etiam alia symptomatica cum sæpè irremedabili puerperæ perniciemox adest. Si verò ex partu non fuit purgata, venter intumescit, & spen, & crura, & febris habet, & rigor corripit, & dolores prossiliunt ad lumbos. Et rursus si verò paulò pauciora, quam oportet prodierint mulieri puerperij purgamenta, velut ceteris angusto ore præditis, ac distortis, aut aliqua pudendi pars valde fuerit conclusa ab inflammatione: Mulier acutè febit, stomachi dolore vexatur, & dolet totum corpus &c. Hip. lib. I. de Morb. Mulier.

Poniò, ut ad nostrum propositum tandem rursus revertamur: Singulæ istæ febres de se refrigerantium sunt indicativa: quid ergò cum illis, si ea juxta antè dicta puerperio sunt intensa? Autcquam de eis aliis

aliquid determinetur, præsuppositum ve-  
lim, ex alijs dictis refrigerationem non à  
solis frigidis ut formaliter talibus procede-  
re, sed quandoque etiam ab alijs nullo  
modo frigidis, imò frigido planè contra-  
rijs id est calidis: quo quidem in sensu he-  
par justò calidius ventriculum antiquis  
refrigerare dicitur, & febres continuæ in-  
tensiores per dissipationem calidi nativi  
hepatis, vel menstrua diutiùs suppressa  
per eiusdem suffocationem hydropim in-  
ducere. Sudorifera febres curare, san-  
guinis missio febrilem effervescientiam  
compescere &c. Quemadmodum idem  
iplum patet contrario modo de calefa-  
tione, dum tempore hyberno per anti-  
peristasis Philotophis dictam actionem  
ab externo frigore subterraneæ cavitates,  
cellæ vinariæ, & putei profundiores inca-  
lent. Item dum Tetanus gravissima  
illa Convulsionis species ex doctrina Hip.  
s. aph. 21. in juvene bene carnoſo, aſſlate  
mediæ, frigida larga perfusione, utpote ca-  
lorem revocante, curatur. Juvabit igi-  
cus

tur & in nostro casu videre, ut si quidem refrigerantia formaliter talia puerperis minus convenient, eorum loco eligamus, quæ id ipsum, quod illa, saltus per accidens efficiant, & modo tali, quo puerperio non obsint. Sic enim fiet, ut & morbo refrigerantia indicanti satisfiat, & tamen ex eo puerperio vis nulla inferatur. Quamvis si refrigerantia illa talia sint, quæ tenuis & penetrantis sint substantiæ adeò obesse non possint, qualis est E. G. syrups ille, quem ad curandam in puerperis jecoris inflammationen proponit in l. 4. de morb. Mul. c. 16. Rod. à Castro :

R. syr. cichor. capit. ven. viol. am. unc. ijaq. endiu. agrim. fumar. am. unc. vi M. quem propterea etiam lochia non impedire dicit.

Jam, quomodo refrigerantia illa calorem illum præter naturalem & languinis febrem effervescentiam extinguunt? procul dubio particularum illarum heterogenearum, & sanguinem in istam ebullitionem

nem febrilem incendentium fervorem at-  
temperando, & acrimoniam corrigendo.  
Omnia igitur, quæcumque in corpore id  
plum, quod ista quâcunque demum ra-  
tione præstare possunt, eis in casu necel-  
litatis ad lubitum substitui poterunt,  
dummodo aliunde ob aliam fortè adjun-  
ctam qualitatem puerperio contrariam  
non obsint. Quæ possunt verò id præ-  
stare? dico, quòd ea quæ dictas illas par-  
ticulas sanguineam massam dicto modo  
præter naturaliter accidentes & inqui-  
etantes vel corrigerè, id est eorum acri-  
moniam obtundere, vel planè è corpore  
tempestivè educere nata sunt: ijs enim  
aut præfato modo correctis & tempera-  
tis, aut è corpore eductis, & à cætero  
probo sanguine in tempore depuratis ca-  
loris illius præternaturalis cessatio, & to-  
tius massæ sanguineæ connaturalis quies-  
necessariò consequetur. Sublatâ siqui-  
dem causâ juxta Philosophos, zollitur effe-  
ctus. Ea verò quæ id præstare valent, &  
quidem dictam acrimoniam temperate,  
sunt

sunt ea, quæ antiquis communiter putredini resistere & putredinem corrigere, modernis verò acidos & acres humores absorbere, Rosino Lentilio autem in Apendice Ephemerid. Nat. Cur. Decur. 2. An. 7. in Notabilibus circa venæ Sect. dulcificare, & talia, à quibus fit fermentatio mitigare dicuntur. Quæ verò easdem dictas particulas è corpore educere queunt, sunt varia: purgantia scilicet, hæmagoga seu lochia ducentia, diaphoretica, & diuretica; Item venæ Sectio, quam ipsam quoque in dicto sensu refrigerare in suis Institut. med. exprelsè docet Daniel Sennertus. His igitur in puerperis occurrente refrigerantium indicazione loco verorum, & formaliter talium refrigerantium utemur: & quidem quâ ratione, & cum quâ cautione venæ Sectione, & purgantibus, jam antea dictum est: quâ ratione verò diaphoreticis, diureticis, & lochia ducentibus in praesenti dispiciendum superest. Sit igitur Horum tantam ad se invicem esse cognationem.

tionem, ut à Practicis per sepe unum pro altero usurpetur, jam superius ex Galeno & Roder. à Castro dictum fuit, adeoque per se clarum evadit, eorum nullum puerperis abolutè esse contrarium, dummodo ritè usurpetur, cù quòd operabitur secundum inclinationem naturæ; nempe si natura inclinabit ad sudorem, sudor prodibit, si ad urinam, ea profuet, si ad lochia, ea copiosiora promanabunt. Et quidem de lochia ducentibus atque dia-phoreticis, ea puerperis esse secura, immò saepe necessaria, experientia ipsa loquitur, tanquam quā habemus, quòd illæ puerperæ, quibus lochia ritè fluunt, & præsertim si insuper per intervalla sudent, se quām optimè habere soleant, hoc beneficio verò carentes contrario modo, immò in omnibus ferè puerperis observare licet, quòd quotiescumque, ex quacunque demum causa in extraordinarias cordis anxietates incidunt, dummodo egrediè desuper sudare incipiunt, hoc ipso se alleviantas sentiant. Quamvis tamen semper,

per, & præ omnibus regiam illam viam  
uterum, quantum quidem possibile est,  
observare consultissimum sit, atque nisi  
lochia ritè fluant, illuc potius, quam ad  
alias vias remedia dirigere, utpote ad vi-  
am à natura ad id specialiter destinatam.  
*Quod verò natura vergit, eò ducere oportet.*  
Si verò ritè fluant videre, ne aver-  
tantur. Vnde si quis diaphoreticis, aut  
diureticis in puerperis uti concluderit,  
eis non solis, & per se uti recordabitur,  
utpote per se dictam illam viam non re-  
spicientibus, sed eis permiscebit appro-  
priata uterina, & lochia ducentia: sic  
enim vel promotebuntur lochia, si ad  
ea potius natura inclinaverit ( quemad-  
modum solet ) vel si ad sudorem potius,  
vel simul diuressim, hæc vel ille, vel in-  
vicem sequentur. Quod tamen cum re-  
spectu ad unà concomitantem febrini  
semper saltem tanto fieri debet, ut pro-  
ejus majore, vel minore intensione,  
quoque dicta evacuantia elegantur aut ca-  
lidiora, aut minus calida. Inter lochia  
du-

ducentia in tali casu proponit Thomas Willis loco julapij refrigerantis in similibus febribus alias consueti talem mixtam aliquoties de die ad tria vel quatuor cochlearia propinandam :

R. aq. pulegij. meliss. aa. unc. iii  
hysteric. unc. ii /yr. artemis unc iss  
tinct. croc. 3ij castor. in petia li  
gat. & suspensi scr. ss M. detur ut  
suprà.

Petrus Forestus verò hoc :

R. bord. mund. Mj glyzyrrb. ras.  
unc. ss schænanc. 3iss coque in aq.  
communis lib. j pro tribus dosibus.

In debilioribus solùm 3j in jure pulli in  
coquit. Ecce unum remedium validi  
us & calidius, alterum mitius & tempe  
ratius. Huc pertinent, & ea, quæ pro  
mensibus prolixiendis alias extrinsecè ad  
hiberi solent, uti sunt balnea, infessus,  
fomentationes, frictiones, ligaturæ par  
tium inferiorum, cucurbitulæ, injectio  
nes uterinæ, pessaria &c. quæ specificè vi  
deantur apud Roder. de Castro & alios.

Hippocrates tamen lib. i de morb. Mul. præsente febri balnea prohibet: Si verò febris habeat à balneis abstinere, fomentū autem & tepefactorijs imum ventrem & lumbos curare. In potu autem exhibere pharmaca uterina, aut sepiæ ovis, aut castoreo admistis &c.

Pro diaphoresi verò simul quoque in tali casu utili, imò ad expugnandam, quam tales febres semper præferunt teste Willisio malignitatem necessaria, usurpari possunt E. G. CC. simpliciter, vel spagyrice pp. Item tal ejus volat. lap. bezoar. antim. diaphor. coral. smaragd. unicor. lap. prunel. & similia, atque dari eis aqua card. bened. scorzon. apicum CC. galeg. borrag. vel etiam meliss. puleg. calend. aut similibus, quibus quoque tantò ferventius insistendum, quò deteriora urgenc symptomata. Quemadmodum ea de re videre licet Georgium Welschium dec. 1. Cur. 2.

Atque hoc modo citra multorum refrigerantium formaliter talium utrum cu-

rare licet non solùm febres dictas putridas, verùm etiam symptomaticas, quales est angina, pleuritis, phrenitis, hepatitis, peripneumonia & similes, additis solùm ad jam dicta ijs, quæ alias extra puerperium in similibus casibus ut specia vel aliunde conducentia usurpari solent, uti sunt in pleuritide antipleuritica, tum interna tum externa, & in alijs alias passim apud Practicos reperibilia, siquidem enim talia puerperio contraria non sunt, in usum liberè trahuntur. Quemadmodum plura similium febrium hæc methodo feliciter curatarum exempla hæc inducere possem, nisi scirem Benevolum Lectorem existis in eorum processu sufficienter esse instructum, atque adeò ulteriore exemplificatione opus non habere. Hoc solùm eundem monitum velim, ut non quamcumque febribim, in quam puerperas incidere continet, mox putridam adeoque nescio quam periculosa cum quanta sollicitudine tractandam esse sciatur, quandoquidem

dem ea, quæ circa tertium à partu diem  
contingit, & lactea dicitur adeò pericu-  
loſa non est, neque propter ea à puer-  
eis multum curatur, etsi, uti ex superius  
dictis patet, eis tatis sit anxioſa. Multò  
minùs ad eam curandam Medicus advo-  
catur, niſi raro & à puſilanimoribus, aut  
nobiliaribus. Ea enim eſt illius natura,  
uti pariter jam dictum, ut dummodo  
nullus in 6. rebus non naturalibus error  
committatur, & lochia ritè ſuum curſum  
teneant, ea ultra triduum, quatriduum uic  
non duret, ſed plerumque oborto ſpontē  
ſudore perle, & citra medicamentorum  
uolum cefſet; quod quidem contingit  
quandoque adhuc citius. Ex quo qui-  
dem, quidnam Medicus agere debeat, ſi  
ad eam curandam quandoque vocetur,  
conijcere facile eſt. Debet nimirum vel  
naturæ totum negotium committere in  
regulato ſex rerum non naturalium uſu  
detentâ interea ægrâ, & lochiorum fluxu  
in ſua continuatione conservato, vel cer-  
tè ſi quid, vel ne otiosus planè videatur,  
vel

vel ut de felici talis febriculæ solutione  
tantò securior sit, aliquid agere cupit,  
aliud non agat, quām naturam ad ludo-  
rem refrigerantium loco cum tempera-  
tioribus sudoriferis leniter disponat,  
quemadmodum in talem finem Ego ali-  
quando tali misturâ feliciter utor:

R. aq. scorzon. borrag. melis. aa.  
unc. i/s confect. alch. incompl. 3ss  
CC. spagyr. præp. coral. rub. pp.  
ocul. 69. pp. aa. scr. I. unicorn.  
fossil. scr. is fol. aur. non I. M. de-  
tur quandoque unum aut alte-  
rum cochlear.

Ad hoc ut lochia verò simul in sua con-  
tinuatione perseverent incoqui jubeo  
semper juculis caponum gallinarūm ve,  
præter quæ etiam ægris nihil de cibis ad-  
mitto, unam vel alteram baccam lauri,  
vel momentum macis, aut modicum  
majoranæ, quæ et si caiidiora quidem  
sint, in tam parva tamen quantitate, pro  
condimento scilicet saltem sumpta, febri  
in tantum obesse non possunt: vel si quis

ab istis sibi timeat, incoquat capilli venum  
& borraginem cum momento macis aut  
eraci, quae etiam in majore quantitate  
accipi possunt. Si lochia imminui vide-  
rentur, posset perfatae mixturæ aliquid de-  
tinctoria castorei addi, & alia precipue ex-  
terna in usum duci. Quod ueteriorem ve-  
ro sex rerum non naturalium usum con-  
cernit, præcipuum quod hinc observandum  
venit, est, ut præter iuicula prædicta, aut  
panatellas ægræ alium cibum non assu-  
mant: in potu cum aqua cocta sequenti  
capite ponenda boni consulant, & cum  
ea non nimis trigida, & ab externo frigo-  
re, ac inordinatis animi passionibus sibi  
caveant. Atque sic fiet, ut omnes tales  
febres feliciter evanescant, si præcertim  
ægræ sibi intuper ubera diligenter emula-  
geant. Hoc ipsum etenim non solum  
mammarum inflammationi præcavendæ  
multum conducit, verum etiam ipsi fe-  
bri feliciter discutiendæ.

Verum febris haec ritè à putridis distin-  
guatur, ne si putrida esset, & pro lactea  
ha-

haberetur, negotio toto naturæ commis-  
so, vel sudoriferis legniter usurpatis, ægra  
interea detrimentum patiatur. Sic verò  
ferè dignoscuntur: quod febris lactea cir-  
ca tretium ferè diem apprehendat, ubera  
tunc tumefiunt & lacte affatim replentur,  
dolore eorum tensivo subtus axillas ad  
dorsum se & scapulas exporrigente, lo-  
chia etiam plerumque ritè fluunt. Fe-  
bris è contrà putrida quocunque tempo-  
re exoritur, quandoque mox à partu,  
præsertim si is præternaturalis fuit, quan-  
doque verò tardius ab eo, imò aliquando  
unâ vel alterâ septimanâ post eum, ali-  
quando verò ipsa lactea in eam desinit,  
si scilicet in vita regimine, aut in lochijs  
error aliquis intercessit. Quemadmodum  
ea etiam in hac febre semper, si alias pri-  
us non erant imminuta aut planè sup-  
pressa, tunc suppressi solent: & tunc  
puerpera rigore aut horrore totius corpo-  
ris prehenditur per vices cum æstu maxi-  
mè anxiolo reciprocante. Supervenit  
quidem sudor, sed nihil sublevat: adest

sitis, vigilæ, capitis dolor, cordis anxietas, corporis inquietudo, & hinc & inde jeætatio, pulsus vehemens & inordinatus, & uno verbo, omnia graviora, quam in lactea; quibus paulò post & alia superveniunt, ut animi deliquia, deliria convulsiones, aphoniæ & similia ex suppressis aut imminutis lochijs oriri solita, & alias in superioribus commemorata, plerumque ægris, nisi tempestivè succurratur, lethalia. Atque hæc etiam de refrigerantibus in puerperis.

Nunc adhuc de astringentibus, quæ quoque pro suspectis in puerperis declaravimus. Horum verò usus in puerperis tunc occurrit, dum parte humorum heterogeneorum plus minus acrum vel ad ventriculum regurgitante oriuntur vomitiones molestæ & frequentes, vel ad intestina, & concitantur diarrhææ, aut si acrimonia dictorum humorum sit major, plænè dyserteriæ, quæ, uti ex communi Mendendi Methodo constat, præmissis acres illos humores naturam ad taicm excretionem.

tionem irritantes expurgantibus, & ab-  
 stergentibus astringentia, utpote partes  
 laxas roborantia, postulant. Quid ergo  
 cum illis, siquidem in usum vocata hoc  
 ipso lochiorum adeò tamen necessariam  
 expurgationem unà cohibent? Dico in  
 talibus casibus ad duo potissimum esse  
 attendendum: unum est lochiorum flu-  
 xus, qualiternam ille procedat; Alterum  
 est conferentia & tolerantia, seu ægro-  
 tantis vires. Quòd si utrumque benè,  
 id est & lochia debitè ( quod quidem tal-  
 tem in principio mali sicesse potest, licet  
 successivè plerūmque lèdantur ) fluunt,  
 & vires utcunque subsistunt, patiensque  
 fluxum illum utcunque & tolerat, & in-  
 de alleviari videtur, tunc pro bono signo  
 habendus est talis fluxus, *In perturbatio-*  
*nibus enim ventris, & vomitibus sponte*  
*evenientibus, siquidem qualia oportet pur-*  
*gari, purgentur, confert & facile ferunt.*  
 2. aph. I. qui propterea etiam non inhi-  
 bendus, sed ordinatâ aptâ diætâ sinen-  
 dus est.

Quod ipsum faciendum etiam in eo casu, ubi lochia quidem superveniente aliui fluxu imminuerentur, aut etiam ormino subsisterent, sed per dictum illum aliui fluxum suppleri viderentur; quemadmodum id contigit primò ante biennium in Illustrissima quadam Matrona, cui per solos 4. dies lochialem fluxum passa quintā die diarrhæa supervenerat (sed cetera virium notabilem ləsionem, aut aliorum accidentium accessionem) quæ per durans per 4. dies rursus per triduum subsiterat, eo elatio verò rursus redierat, atque sic repetierat per aliquot septimanias, numquam amplius revocato lochialem fluxu. In hoc casu enim, quia diarrhæa facile tolerabatur, neque lochiorum inde causata subsistentia quicquam mali induxerat, manifestum erat, humores, qui per lochialem fluxum alijs evanescendi fuissent, à natura ad aliuum fuisse directos, & consequenter diarrhæam illam fuisse in lochiorum supplementum à natura concitatam; quod quidem quia

luc.

successerat absque notabili virium laxio-  
ne, & absque ulteriorum pravorum ac-  
cidentium accessione, permittendum in  
suo curlo erat, & non interturbandum;  
periculoseum siquidem est, uti bene notat  
Willis, quemvis naturæ motum, licet an-  
malos concitatum, aut inhibere, aut saltem  
deflectere, atque in transversum agere, ni-  
si alia ulterior necessitas id exigat.

Aliud esset, si lochia cum symptomati-  
cum pejoratione, aut omnino suppressi,  
aut latenter imminui, aut una ipsæ etiam  
rites labi, adeoque nec conferentia nec  
tolerantia adesse animadverteretur, tunc  
enim bene ad præfatum fluxum sistene-  
dum omnis lapis terio esset movendus;  
neque tamen astringentibus, sed solis  
puerperij purgationem leniter provocan-  
tibus, & sic humores rurlius ad uterum  
partem propriè & specialiter ad id à natu-  
ra destinatam reducentibus. Sic rectè  
primò citatus Thomas Willis, dum ei  
puerpera cum febre, vomitu, & ex co-  
subsistentibus quartâ à partu die lochijs,

qui

quintâ verò etiam superveniente diarrhæa  
cum varijs hysteris accidentibus ali-  
quando curanda occurreret, totam su-  
am intentionem eò direxit, ut lochialis  
purgatio ei rursus restitueretur, quâ eti-  
am per apta ad id remedia, uti inter in-  
trinseca erant laudan. op. gr. j croc. / cr. ss  
data ex aq. theriacali. Inter extrinseca  
verò fatus imi ventris cum emollientibus  
& uterinis atque crurum pedumque cum  
pannis calidis frictiones, procuratâ,  
ægra intra paucos dies feliciter recon-  
valuit.

Similiter restituit alteram, cui ob ad-  
hibita ad sistendum nimium lochiorum  
fluxum immoderata astringentia primò  
diarrhæa, postea verò & hâc, eò quòd in-  
cresceret, à mulierculis rursus astringen-  
tibus incautè propinatis cohibitâ, alia hy-  
stérica symptomata, febris periculosa,  
syncope & sudores frigidi successerant.  
Lochia enim moventibus & cardiacis per  
intervalla propinatis, ac clystere leniente  
ob astrictam aluum injecto alius soluta  
est,

est, lochia rediere, & puerpera reconvaluit. Ubi advertendum primò per astrin-  
gentium immoderatum usum male fuisse  
cohibita lockia. 2dò adhuc deterius  
diarrhæam, cum præsertim nullum grave  
symptoma ea post se traheret, neque vires  
in tantum prosterneret, sed lochiorum  
fluxum potius suppleret, fuisse restrictam;  
vel si ea nimis increscere videbatur, non  
astringentibus, sed leniter ad uterum de-  
rivantibus, & lochia revocantibus res  
peragenda erat.

Pari ratione Affinis mea, de qua jam  
aliàs, cùm ex inordinata tempore gesta-  
tionis vivendi regula aliquot à partu die-  
bus primò in diarrhæam perseverante ad-  
huc lochiali purgatione, postea verò ob-  
continuum pro potu ordinario actu fri-  
gidæ haustum, atque externi frigoris,  
cùm sedem extra cubile frequentaret,  
admissionem in lochiorum totalem sup-  
pressionem, cum febre, vigilijs, cordis  
anxietatibus, & animi deliquijs incidis-  
set, solis ex consilio meo propinatis lo-  
chia-

chialem purgationem rufus provocantibus, atque diætâ pleniore in tenuem id est sola juncula gallinarum cum incostis bacis lauri, & flor. mac. conversâ feliciter restituta fuit.

Adhuc verò magis videtur pugnare ratio contra astringentia in dyntenteria, si et tempore puerperij accideret, cò quod per eam lochialis fluxus adhuc melius supplex videatur, quam per diarrhæas, cò, quod in ea non solum idem, qui in diarrhæis evacuari solent excrementitis humores, expurgentur, verùm insuper & ipsi languis alias per lochia tunc expurgabilis, 2dò quod alias dictum sit, mentes sic quandoque citrà daminum per cruentum alui fluxum innoxie suppleri, quemadmodum id contigit in Itala illa, de qua ibidem facta fuit mentio: ergo idem ipsum fiet & in præsenti casu. Accedit quod via ista sanguini illi evacuando tanquam utero proxima, satis commoda videatur. Quidquid tamen sit, Ego existimo tamen temper quoque hîc ad conferen-

serentiam & tolerantiam fore respiciendū, ad lochialis fluxūs constitutionem, & puerperij tempus: atque si videretū fluxus ille dyentericus utcunq; facile tolerari ab ægra, vel eam planè sublevare, tunc procul dubio, qualitercunq; se haberent lochia, & in quocunq; puerperij tempore existeret ægra, fluxus ille tanquam lochiorum vicarius, esset in suo cursu permittendus, & nullo modo cum astringentibus interturbandus, sed talitem anodynīs & leniter abstergentibus præca-  
vendum, ne ille deterior evaderet.  
Quod si is verò vires prosternere, aut alia gravia accidentia inducere videretur, tunc procul dubio mox sistendus esset, neque tamen magis cum astringentibus, quam diarrhæa, verūm hæmagogis, seu ad uterum deriyantibus temperationibus primū, & postea primò, si ista planè proficere non viderentur, neque anodyna graviorum symptomatum accessum latiss efficaciter prohiberent, cum astringen-  
tibus, qualium quidem formulas, imò ro-

tam dy<sup>s</sup>enteriae in gravidis curationem in specie videre licet apud Roder. à Castro lib. 4. de morb. Mul. cap. 14.

Atque sic tandem appareat, quâ ratione quoque ea remedia, circa quæ continent affectuum puerperis accidentium cum puerperio complicationes, usurpari in puerperis queant, absque eo, quod eis ullum inferant incommodum. Ubiquidem videre licuit, in omnium horum usum Medicum ferè semper, & præ omnibus alijs intentionibus ad lochia, ut ea nimis commode procedant, respectum habere debere, si solas saltem variolas exceptias, utpote, in quibus s<sup>a</sup>pe citatus Thomas Willis docet lochialem fluxum non adeò curari debere, Imò si is copiosius procedere videretur, ita ut ne exanthematum illorum exactam proruptiōnem impediret, periculum adesse cerneatur, cum etiam cohiberi, vel saltem cum moderatè astringentibus, sed simul ob malignitatem præsentem alexipharmacis, qualis est rad. torment. & historta ægro.

egrotantium iuſculis incoctis moderari debere; Cæterūm verò Medicum totum eò esse intentum, ut dictorum exanthematum exclusio quamprimum promoveatur: adeoque eum uti debere talibus medicamentis, quibus præter alexipharmacam & diaphoreticam virtutem unā & astrictivam inesse per diurnam experientiam innotuit. Talia sunt E. G. dicta radix tormentil. bistort. ulmaria, CC. uſtum, rafur. ebor. coral. rub. bol. armenus, ter. ſigil. confeſt. de hyacintho, pulu. pan. rub. liberant. &c. Ex quibus dictus Willis in simili caſu ſequentia profuiffe expertus est:

R. rad. torment. pulu. 3ij. bol.  
armen. 3j. ſpec. de hyacinth. 3ſſ M.  
f. puluis.

Cujus 3ſſ detur omni tertiâ horâ ex tali julapio.

R. aq. ſcordij comp. draconis. ulmar. aa. unc. iiij. acet. theriacal. unc. i syr. è coral. unc. ij CC. uſti 3ſſ M. f. julapium in uſum prædictum.

D d

Ju-

Jusculis insuper radicem tormentil. inco-  
qui curavit; ad quæ lochia mox sisteban-  
tur, variolæ verò feliciter prodibant, &  
sine graviori symptomate sensim matura-  
tæ excidebant.

Rationem verò talis curationis dupli-  
cem assignare licet: primò quòd talium  
**exanthematum malignitas lochiali reten-**  
**tione longè deterior**, & proinde urgen-  
tior esse censetur, adeoque cura pri-  
mariò ad se trahere, & sui per cutis poros  
**exclusionem præ lochiali purgatione ur-**  
**gere videatur.** 2dò, quòd vasa illa lo-  
chiali purgationi destinata exilia nimis,  
& tam copioæ exanthematum materia  
& malignitati tempestivè satis, & prius  
quam hâc ratione ad interiora retractâ le-  
thalia symptomata, & ipsam etiam mor-  
tem induceret, expurgandæ impropor-  
tionata videantur, locus econtrà exan-  
thematibus dictis destinatus, universæ Ici-  
licet cutis pori, via satis ampla sit, quâ  
non solum ea, quam dicta exanthemata  
præferunt malignitas, verùm etiam ea,  
qua

quæ ex lochiorum retentione timetur, percommode, & absque diuturniore, & nociva in corpore mora expurgari queat. Quod ipsum & exinde confirmari videtur, quod puerperas, quæ copiosius sudare solent, plerumque melius te habere, & ipsam etiam lochiorum expurgationem in eis abbreviari, videamus, magnâ scilicet eorum, & magis fermentis cibili portione mediante sudore per cutis poros eliminatâ.

Si quid tamen alij de ista methodo sentiant, perquiras, non facile apertum reperies. Fortè quia tales casus curandi rarissim occurunt, vel quia valde intricatisunt, vel denique quia plerumque lethales. Sunt verò lethales non solum propter contrarias indicationes, curam maximè dubiam, & periculolam reddentes, verum etiam, quod insuper in ipsis patientibus maxima semper adsit virium per partus labores, & tantam sanguinis profusionem prostratio, quæ naturam ad

tam graves affectus superandos quasi necessariò imparem reddit.

Reperio quidem inter cæteras apud Georgium Hieronymum Welchium Medicum quondam Augustanum celeberrimum in obit. suis Med. binas huc pertinentes curationes, & unam quidem dec. 1. curat. 2. alteram vero dec. 2. curat. 3. In quarum illa proponit puerperam cocaineâ seu petechiali febre cum maculis rubris laborantem, in hac verò puerperam à cohibito nimio lochiorum fluxu infibrim cum lateris dolore ac subseqüente diarrhæâ lethali incidentem, quas ambas verò curavit methodo dictæ nostræ minùs correspondentem. In priore enim licet malignitatem illam petechiale dia-phoreticis & alexipharmacis per cutis poros expellere, sicut nos, non prætermisserit, per lectam tamen malleoli venam lochialem purgationem simul procurare adlaboravit. Quamvis tamen, ut verùm fatear, id hîc faciendi majus fundatum habuerit, quam si exanthemata illa variola

variolæ fuissent. In posteriore verò, dum lochia nimis copiosè fluere videret, illa per coralliorum rubcorum copiosiorem exhibitionem mox sistere, cùm ea tamen latem moderari præstisset, aggressus est. Et rursus postquam videret naturam in alii fluxum seu diarrhæam loco lochiorum solutam, ei mox astringentibus obviare sategit. Nos potius ad uterum, si tamen sistenda esse viña fuisset diarrhæa, derivassemus, & sic fortè revocatâ illuc materiâ & diarrhæa substitissemus, & simul sanguis cohibitis lochijs ad superiora raptus febrim, & lateris dolorem causans rursus ad uterum revulsus fuisset, adeoque omnibus succursum. Per quod tamen absit, ut me ista dicto judicissimo viro in minimum præjudicium, allegâsse quis sibi persuadeat, eò quòd nullum in toto hoc tractatulo vel minimo verbulo offendere intendam, neque capacem me id cum fundamento faciendi, esse tateor, verùm solum ut meam opinionem tanto magis confirmem, & declarem. *Contra-*

ria enim juxta se posita magis elucent.

Per transennam verò hīc advertendum, accidentem quandoque in partu copiosiorem lochiorum fluxum cautē esse moderandum, nunquam verò planè sistendum. Novi enim plures puerperas, quæ quoties etiam felicissimē pariunt, tantum sanguinis in ipso partu, & mox post eum effundunt, ut penē universum effusum credideris, per hoc etiam adeò exsoluuntur, ut intrà aliquot horas vix se recolligant, imò per plures etiam dies coaqueunter debilissimæ, & quandoque animo delinquentes vituntur, tandem verò tamen rursus feliciter se recolligunt, & puerperium suum prosperè superant; imò hoc inde emolumenti habent, quod, quemadmodum hoc ipsum etiam annotavit Franciscus Sylvius, postmodum parciorē, & breviorem patientur lochiōrum expurgationem: quibus si quis mox astringentibus succurrere præsumeret, eos mox in febrim, & alia gravissima ac-  
cidē-

cidentia, si non fortè planè in mortem, præcipitaret. Vide hac dere, si lubet, etiam Rod. à Castro l. 4. de morb. Mul. c. 10. Sed quid, si retentis post partum in utero secundinis, vel parte earum aliquâ, molâ, aut grumo sanguinis, adesset tantus sanguinis fluxus, quo mulier notabiliter jam deficeret; licerétnē in tali casu ad dicta expellenda consuetis pellentibus uti, qualium farrago passim ab Authoribus proponitur, & eadem sunt, cum ijs, quibus ad promovendos menses, aut fætum mortuum expellendum utimur? Quòd ita, urgere videtur necessitas; supponimus enim ex tali fluxu puerperam maximè periclitari, adeoque cum omnimodo esse sistendum, aut saltem moderandum, quod verò fieri minimè potest, antequam prædicta ex utero sint expulsa; quandiu enim illa ibidem existunt, tam diu uterus se contrahere non potest, quam diu ies verò non se contrahit, aperita venarum orificia non concidunt, atque ita sit, ut, antequam præfata ex utero

sint expulsa , dicti fluxus cohibitionem sperare non liceat. Quòd verò non, dissuadet illorum pellentium caliditas, & aperitiva facultas , à quibus proinde fluxus ille sanguinis adhuc magis proritatur , taceo , sisteretur. Quid ergo in tali casu agendum ? Dico prænominata illa in tali casu non tam tanquam à natura omnino aliena ( viæ enim fuere Mulieres, quæ molam usque ad mortem , quemadmodum annotatum reliquit Ambrosius Paræus per 17. annos gestârunt ) quàm Mulieri in tali casu inevitabile mortis periculum minitantia, quàm primùm possibile est , è corpore fore eliminanda , nullo modo tamen cum propriè & per se impellentibus , ob præsentem fluxum , qui ab ijs adhuc major concitaretur , sed cum talibus , quæ per accidens illud ipsum efficere valent , sed citra tantam concitationem sanguinis : quemadmodum sunt inter cætera sternutatoria ab ipso etiam Hippocrate 5. aph. 49. ad secundinas turbandas , sternutatorio immisso , narres

*os comprimito*, proposita. Quò facerent & vomitoria, tanquam, quæ naturam ad inferiorum partium compressionem cogen-do, quoque dictorum ex utero expulsio-nem promovere possunt, dummodo ta-men virium debilitas eorum utui non ob-sistat. Item fætida naribus admota. Ut castoreum, galbanum, assa fætida, aut suffi-tus ex fætidis ut plumis perdicum, capillis, verrucis equorum tibijs adnatis, & simili-bus, quæ de uteri suffuscatione apud Au-thores passim licet reperire. Suffitus ve-rò, qui per inferiora adhiberi solent, mi-nus tuti essent, eò quòd sanguinis fluxum potius proritare nati sunt, quam sistere. Suffitus aromatum muliebri & educit 5. aph.

28. Quo calculo, & pessaria aliàs con-sueta damnantur. Clysteribus acrioribns aliàs etiam in dictorum exclusione quan-doque multum efficitur, verùm quidquid hîc incipies, facile inpinges; unde ferè Consultissimum videtur, ut, postquam nec sternutatoria, nec fætida naribus ad-mota quicquam profecerunt, mox ad-

manualem operationem deveniatur, atque ea, manu in muliebrem sinum immisâ, cautè extrahantur. Modum vero talis operationis videre licet apud Roderium à Castro lib. 4. de morb. Mul. cap. 7. Franc. Stokhomerum in Examine obstetr. & alios. Per quam ipsam operationem fore salvandas & eas mulieres, quibus nondum excluso fætu ex violenter quacunque de causa, abruptis ab utero secundinis & orificijs ruptarum venarum non prius unibilibus, quam uterus à fætu exoneratus se se contraheret, talis hæmorrhagia accideret, docet idem jam memoratus Stokhomerus. Et hoc non tam, quod teste Hip. s. aph. 60. tunc temporis fætus bene valere non possit, quam quod non cohibitâ illâ hæmorrhagiâ, alias una cum fætu & ipsam matrem sensim & sensim resolutis viribus tandem interire necesse foret. Sed bene advertendum est, me eam solum hæmorrhagiam hîc intelligere, quæ pro causa habet secundinæ ab utero præmaturam abruptione, à qua-

cunque tandem causa illa acciderit, minime verò eam, quæ menstruatim prægnantibus quibusdam plethoricis quandoque citra damnum accidere solet, atque ex venis exterioribus procedit. Quamvis, si quis ante dictam illam manualem, puerperis omnibus summè terrificam, operationem virtutem illius mixturæ, quam proponit Franc. de Le Boe Sylvius in sua Praxi Med. & se gloriatur cum ejus unc. iij ter de die exhibitis placentæ partem post abortum in utero per aliquot mentes relictam, & continuum sanguinis fluxum causantem feliciter & citra majorem hæmorrhagiam depulisse, experiri vellet, ego ei non refragarer. Habet verò se mixtura illa sic :

R. rad. bistortæ 3ij fol. majoran.  
puleg. aa. mj coq. in aq. & vin  
alb. an. q. f. in colat. unc. xxx-  
diss. syr. artemis. unc. iij aq. cinam.  
unc. j M.

Quid si uterus ex non bene factâ secundinarum aut molæ extractione, aut ex  
aila

alia etiam quâcunque causa procideret, licerétnē, repositum more solito astrin-  
gentibus & siccantibus retinere, & obfir-  
mare? Respondeo pariter negativè, ni-  
si exactâ jam in totum lochiali purgatio-  
ne. Retineri tamen posset alijs medijs:  
si nimirum mulier toto puerperij tempo-  
re in lecto quietissimè se contineret, &  
neque ad ipsam excrementorum egestio-  
nem in lecto surgeret, sed suam necessita-  
tem ad studiò ad id parata vala in lecto  
perageret, manum etiam utero lapijs,  
præterim tempore excrementorum de-  
positionis admotam haberet, atque sic,  
ne ruritus procideret, præpediret, vel etiam  
in sinu suo pessarium ex tubere solo vel  
cum cera obducto in medio, ne urinæ &  
lochijs exitus inhiberetur, perforatum  
continuò gestaret.

Sed diceret quispiam à nobis in puer-  
peris refrigerantia disuaderi, & tamen ra-  
dicem bistortæ, bolum armenum, nitrum  
perlatum, & similia frigida usurpari, quæ  
sunt valde inconstantia. Ast ei repono  
ista

ista à nobis usurpari non quā refrigerantia,  
sed potius quā alexipharmacā, & quidem,  
in eo casu ubi lochiorum fluxus non ve-  
nit primariō respiciendus. Neque illis  
nos faciē solis uti, sed cum alijs calidio-  
ribus permisisti, ut fœniculo, melissa & si-  
milibus uterinis, quāmvis jam superiū  
dixerimus in maxima febrē, aut internis  
viscerum inflammationibus ea, quæ tenu-  
ioris sunt substantiæ, licet refrigerantia  
sint, absolutè cum Roderico de Castro  
non esse rei scienda.

Instaret: nos per rejecta in puerperis  
refrigerantia lochijs quidem feliciū ex-  
purgandis consuluisse, per substituta verò  
ijs diaphoretica, & lochia proritantia,  
utpote calida febri intendendæ occasio-  
nem dedisse, quod tamen æquè, ac lo-  
chiorum suppressio, quæ ex refrigeran-  
tium usu timetur, videtur esse funestum:  
Ergo utrinque malè. Sed R. concessā  
primā parte antecedentis, nego secun-  
dam. Imò hoc ipso, quod diaphoresis  
promovetur, aut, lochia restituantur,  
febris

febrim remittere necesse est , evacuatis  
nempe sic è corpore aut unà cum sanguine  
lochiali per uterus , aut cum sudore  
per cutis poros humoribus seu particulis  
illis heterogeneis , & sulphureis univer-  
sam sanguineam massam in febrilem æ-  
stum accendentibus. Et deinde ; num-  
quid licet in temperatioribus persistere ,  
& non ire ad calidiora illa aromatica , &  
oleosa ? Numquid etiam in movendis  
lochijs cum externis multùm proficitur ,  
ut adeò ad interna calida , quæ febrem in-  
tendere possent , semper recurrendi tanta  
necessitas non sit ?

Sed urgeret adhuc ulterius omnem fa-  
lutarem humorum expurgationem ex  
doctrina Hippocratis debere fieri per lo-  
ca conferentia , & à natura ad id institu-  
ta , quæ in puerperis sunt uterus . Ergo  
ad eum solùm in omnibus puerparum  
affectionibus evacuationes erunt dirigendæ ,  
& nunquam ad cutis poros , aut alium ,  
quocunque etiam puerperij tempore ;  
præsertim quòd videamus puerperis facile  
nihil

nihil mali accidere, dummodo lochia ri-  
tè procedant. Id quod quidem manife-  
stum signum est, in lochiorum debito flu-  
xu totam puerarum salutem positam  
esse, quemadmodum id etiam ipsimet  
in alio loco confessi sumus. Verùm ad  
hoc ipsum dico, per loca conferentia esse  
ducendum, si ea educendæ materiæ sunt  
commoda simul, & proportionata; di-  
ximus verò naturam universæ peccanti  
materiæ per uterum saltem satis tempe-  
stivè expurgandæ non semper sufficere,  
quemadmodum id contingit in variolis,  
imò ob partis incommunitatem etiam in  
alijs malignis exanthematibus, in quibus  
cutis pori via eductionis commodior  
sunt, quàm uterus. Idem est de majore  
corporis cacochymia, propterea quando-  
que etiam per aluum expurganda. Imò  
videmus id ipsum & naturam ipsam quan-  
doque feliciter moliri, dum unà cum lo-  
chijs per te in largissimum sudorem solvi-  
tur, quandoque etiam ingentes diarrhæ-  
as innoxie concitat, sicut jam alibi hoc

pluribus fuit inductum. Cur ergò non licet sit ipsam necessitate sic exigente etiam arte imitari, manente interea tamen in suo vigore illo, quod bene procedente lochiali fluxu puerperæ ut plurimum bene se habeant?

Denique nos mirari quis posset, & non immerito pro coronide quereremus, cur nos in gravidis adeò abortum timeamus, deque ritè tractandis puerperis adeò simus tolliti, cum tamen videamus mulieres rusticas, mendicas, & militum sive scortas, sive uxores tantæ tum in cibatione, tum in alijs sex rebus non naturalibus in ordinationi esse deditas, ut violentissimos tempore gestationis subeant sæpe labores & commotiones, absque eo tamen, quod abortum patientur. In victu etiam edunt & bibunt, quidquid ipsis quasi obvium est, aëri externo mox tæle sæpe necessitate sic exigente, sæpe etiam sponte, post partum exponunt. Imò impia meretrices, totum puerperij tempus sæpe ita occultant, ut deperditis, aut clanculum

culum trucidatis fætibus saxe nunquam  
gravidæ fuisse, multò minùs peperisse de-  
prehendantur & tamē per hoc non offenduntur: quid ergo tantis ceremonijs cum  
gravidis, aut puerperis opus? Ista vide-  
tur esse mera delicacitas. Verūm &c. primò  
de ijs quæ gestationis tempore minùs sibi  
cavent, quamplurimas abortire, & ex eis,  
quæ in puerperio minùs ritè tractantur  
etiam plurimas interire. 2dò longam  
esse inter infimæ, & meliotis fortis mu-  
licres, longam inter robustissimas quas-  
dam & debiliores, longam denique inter  
quælibet extrema perpeti assuetas, & in  
otio, ac omnium rerum affluentia edu-  
catas diversitatem. Imprimis enim il-  
lis videtur misericordissimus, & qui nul-  
li majus onus injungit, quam quod suf-  
ferre potest, præ istis in omnibus longè  
magis assistere, & cum eis quodammo-  
do super decreto illo Genet. 3. *Multipli-  
cabo ærumnas tuas, & in dolore paries fi-  
lios,* dispensasse. 2dò illæ sunt gravissi-  
mis miserijs à natura assuetæ, adeoque

ea, quæ ipsis ante, in, aut post partu  
accidunt non ita sentire, aut ab illis lœdi  
juxta illud: ab assuetis non fit passio, & con-  
sueti solitos labores ferre, et si fuerint inva-  
lidi, aut senes, non consuetis, quamvis re-  
bustis & juvenibus, facilius ferunt. 2. aph. b.  
49. Consueta etiam longo tempore, etiam si de-  
teriora sint, insuetis minùs molesta esse so-  
lent 2. aph. 50. 3tiò illæ plerumque tan-  
tis excrementis non scatent, quantis ista;  
& hoc partim ob vietūs rationem ut plu-  
rimùm simplicem, adeoque multiplici,  
& variâ longè meliorem. Peritæ quo-  
que si famem non potiuntur, saltem o-  
alimenti penuriam minùs, quam appa-  
terent, assumere coguntur. Quis verò  
nescit, hoc utrūque suo modo quan-  
doque sanitati conservandæ plurimùm  
conducere? Optimum siquidem teste Hip.  
*Sanitatis studium est non satiari cibis.* Ac-  
cedit, quod tales plerumque se quamplu-  
rimùm commovere, aut in arduis labo-  
ribus exercere soleant, unde et si quid in  
cis superfluitatum generetur, id permo-  
tun

tum & despicer oboriri solitos sudores ut-  
plurimum rursum discutitur. Unde rur-  
sus Hippocrates sanitatis studium est non  
satiari cibis, & impigrum esse ad labores.  
Quod verò totum contrario modo te ha-  
bet cum melioris fortis mulieribus, in  
otio, & omnium rerum affluentia viven-  
tibus; adeoque etiam mirum non est,  
quod hæc mala, quæ sibi obveniunt dif-  
ficiilius ferant, & magis ab eis lædantur.  
Minime igitur vanum est, de bono gra-  
vidarum, puerarum regimine nos  
adeò esse sollicitos. Sed ad conservandam  
Matrem licet abortum procurare; ergo  
matre in periculo constitutâ licebit quod-  
cunque regimen ad conservationem fætūs  
faciens negligere, & usurpare quæcun-  
que ad conlervationē matris facientia re-  
media, et si fætui aliàs noxia? Verùm  
ad istud ipsum, primò abortum esse  
tem per se valde periculosa vi Hippo-  
cratici illius 5. aph. 55. Quæ gestantes ute-  
rum febribus corripiuntur, & vehementer  
line causa extenuantur, eæ difficulter, &

cum periculo pariunt, aut abortientes per-  
clitanter: ergo is nunquam est, præcipue  
temerariè, procurandus, quemadmo-  
dum id etiam prohibuit Hip. in Jure ju-  
rando: Similiter autem neque mulieri ta-  
lum vuluæ subdititium, ad corrumpendum  
conceptum, vel fætum dabo. 2dò dico,  
quòd etsi etiam quis certus esset, quòd  
procurato abortu mater superviveret, co-  
verò non procurato unà cum fætu interi-  
ret, non liceret tamen eum saltem dire-  
ctâ intentione procurare, eò, quòd, te-  
ste Apostolo, non liceat facere malum,  
ne eveniat bonum. Consequenter nunquam  
sunt sine cautione gubernandæ gravidæ,  
& nunquam in eis usurpanda sine cau-  
tione talia, quæ abortum procurare vale-  
rent; sed si quid pro conservatione Ma-  
tris faciendum, faciendum id est cum ma-  
ximâ cautione, eâ scilicet, quam nos in  
hactenus traditis observandam esse docui-  
mus. Atque ista tandem etiam de con-  
troversijs latiss.

## CAPUT XX.

*De recto prægnantium, & puerperarum in 6. rebus non naturalibus regimine.*

Quandoquidem rectè in calce capitis antecedentis recti prægnantium puerpararumque regiminis facta est menso, neque de eo hactenus quicquam speciale fuit prolatum, ut id hīc saltem non nihil exactius examinetur, commodum, quod ex eo debite observato sperare mulieribus licet, id exigere videtur. Scendum tamen non tam fore sermonem de regimine, quod prægnantes puerpera in statu præternaturali, seu morbo constitutas concernit, quoniam illud cujuslibet particularis morbi ratione et diversimodè instituendum, verum illo, quod eis ut sanis competit, & mediante quo se a quocunque morboso accidente, ne in illud incident, citra ullo- dum medicamentorum usum utcunque commodè præservare, dummodo velint,

possunt. Et hoc regimen est scientia illa, quam adeò commendatam voluit tum prægnantibus, puerperisque, tum Medicis ipsis Divus Hip. lib. I. de morb. Mul. his verbis: *Custodiâ & scientiâ multâ opus est, ut in uteris gestent puerum, & enutriant, & ut evadant ab ipso in partu.*

Consistit ista scientia verò seu regimen universim in apto 6. rerum non natura- lium usu, adeoque Aëre, cibo & potu, somno & vigilijs, motu & quiete, ex- cretis & retentis, atque animi pathema- tis debitè regulatis. Et tempore gesta- tionis quidem, si quæpiam utero gerens non solum ad consuetum 9. mensium tempus lana pertingere cupit, verùm eti- am feliciter parere, atque tandem suble- quens puerperij tempus prosperè supera- re, consultum ei est, ut in aëre quantum potest, degat temperato & pravis odori- bus experte. Et inter cæteros factores gravidis quidem præcipue obesse fumum extinctæ lucernæ notatum reliquit Ari- stoteles lib. 8. histor. Animal. cap. 24.

Aërem

Aërem verò austrinum Hippocrates 3.  
aph. 12.

Cibum expedit esse quantitate moderatum, atque si in eo quid excedendum, fiat id potius in superfluitate, quam deficiencia posterioribus prælertim gestationis mensibus, & fætu copiosiore alimento indigente: omnis etiam nocivæ qualitatis expertem, adeoque facilis concoctionis, distributionis, & copiosi nutrimenti, qualis est caro vitulina, arietina, gallinarum, caponum, pullorum, volatilium extra aquas degentium, & plus lele commoventium, ova recentia sorbilia, atque ex ijsdem parata, &c. minimè vero aut concoctu difficilem, aut pravo sucto scatentem, acrem, flatuosum, aut aliâ quâpiam qualitate ut puta, mentes movente suspectum. Quare vitanda caro porcina, hædina, cervina vetustior, anterina, anatina & similes: omnia item fumo indurata, aceto aut sale condita, caseus antiquus, legumina, fructus horarij, pepones, fungi, & terræ tubera, nec

non aromatum præcipue croci multis usus, eò quòd talia menes proritent in hoc casu periculatos. Ut fructus verò tanto facilius vitentur, gravidæ eos sibi afferri non curent, neque hortos, ubi illi crescunt, facilè frequentent. Quamvis hortorum ingressus illis & ex eo à quibusdam vitandus censeatur, quòd fæminæ facilè tali herbæ insiderent, quæ abortui occasionem dare posset: quemadmodum tali virtute præditus teste Diolcoride Cyclaminus à quibusdam creditur, & id quidem eâ ratione, ut si quæ prægnans eum vel transilierit, exinde abortire possit, id quod mihi tamen facilè non persuaderetur.

Sed hîc quis querere posset, quidnam verò de planè exoticis illis, quæ quandoque à multis gravidis eo præcipue tempore, dum fætui crines crescere incipiunt, appetuntur, sentiendum: num ea illis admitti debeant, vel non admitti? Et quidem quòd eis admitti non debeant videntur loqui res ipsa, eò quòd similia quan-

doque planè comestibilia non sunt, & prorsus nullius neque digestionis, neque nutrimenti: qualia sunt creta, carbones, calx & similia. Admitti verò ea illis quandoque tamen debere, videtur suadere Hip. illud: *Paulò deterior & potus & cibus, suavior tamen, melioribus quidem, sed insuavioribus præferendus.* Planè persuadere verò Levini Lemnij illud, quod in occultis Nat. Mirac. lib. I. cap. 5. recenset de grāvida quāpiam, quæ conspe-cto viro quodam thorofo, & succulento in id depravatæ appetentiæ devenit, ut ejus carnibus vescendi invincibili desiderio prehenderetur. Quare cum etiam allocuta est, qui tergiversatus quidem aliquamdiu, tandem verò ab alijs persualus tamen paruit, & passus est sibi morsum unum dari à fæmina, quæ verò unâ buccellâ non fatiata, petiit alteram, quam verò similem in suo corpore crudelitatem non assuetus vir ille ipsi denegavit. Sed ecce quid factum! recedit mæsta mulier, ad partum se parat, & parit binas quidem

proles, sed mortuam unam, vivam alteram; id quod quidē factum ita non tuisse censem memoratus Levinus Lemnius, si fæmina in sua tam intensa appetentia suo desiderio frustrata non fuisset. Quid quid tamen sit: Ego existimo quidem talia ipsis ab solutè denegari non debere, præcipue si ea talia sint, quæ ipsis ab solutè obesse non possunt, interea tamen omnipossibili modo adhortandas esse, ut in similibus ipse se vincant, & ab eis desistant. Ipsi etiam similia videndi acquirendique occasio auferenda. Liceret nostratibus quibusdam in suos maritos quandoque similiter defævire! Quid valet, ea sibi tales inordinatas appetentias læpius comminiscerentur.

Salitorum verò usus ex eo gravidis interdicendus, quod Arist. lib. 7. Hist. Anim. c. 4. eas, quæ in similibus sibi non carent, fætus sine unguibus parere scribat. Acidorum verò, quod teste apud Ettmullerum in valetudinario infant. Sylvio fætus per talia non solùm tormini- bus,

bus, verum etiam epilepsia obnoxij red-  
dantur. Quâ ipsâ de causâ etiam vinum  
gravidis denegat ibidem Hartmanus, qui  
verò saltem de immoderato ejus usu est  
acciendus, non verò de moderato.  
Honesta quædam Matrona pro experto  
mihi retulit, ab ijs fæminis, quæ gestatio-  
nis tempore multis nucibus vescuntur,  
fætus rancidos progigni. Alias Aristo-  
teles citato loco dicit, quod quæ mater  
comoderit, sepe gerulus veniat in lucem  
fetus.

Pro potu ordinario possunt bibere vi-  
num album, defæcatum, & viribus me-  
diocre, non tamen mustum, utpote cu-  
jus nocumentum expertam rectè primò  
elapso autumno in cura habui prægnan-  
tem, ex ejus potu & castanearum farci-  
minimque esu gravissimam colicam cum  
omnium, quæ assumebat evomitione  
patientem, aluum verò adstrictam haben-  
tem. Abstemijs servire potest vel aqua  
cum coriandro, aut cort. citri decocta,  
vel simplex fontana, in qua saltem mica  
panis

panis tosta immerita sit; minimè tamen valde frigida, utpote quam tum ex Hip. tum ex Aristotele gravidis maximè noxi. am adnotavit Hieron. Mercurialis lib. I. de morb. Mul. cap. 4.

Somnus sit solitò diuturnior.

Motus intermedijs mensibus superet quietem cum moderamine tamen, pri-  
mis verò tribus, septimo, & præcipue octa-  
vo quies motum. Quemadmodum istud  
ita ferè sentit etiam Rod. à Castro l. 3. de  
morb. Mul. c. 22. primo mense non exer-  
ceantur, secundo raro & lentè, tertio ex-  
peditiūs, quarto, quinto, & sexto audaci-  
zis, sed moderato exercitio, & per planum;  
septimo, octavo, & usque ad dimidium noni  
detrarbere de exercitio oportet, deinde in-  
tendere. A dimidio enim noni mensis  
usque ad partum commotio ampliationi  
partium genitalium inservit, adeoque ad  
faciliorem partum disponit. Quem in si-  
nem quibusdam etiam balnea emollien-  
tia ex malua, althæa, meliloto, sem. li-  
ni, fænugr. & similibus parata pro tunc  
pro

prosunt, iis scilicet, quæ difficilius parere solent, sicut & inferioris ventris cum ol. amygdalino & butyro recenti inunctiones. Violentiores tamen motus quocunque etiam gestationis tempore sunt noxii, ut equitationes velociores, cursus, saltusque. Imo Romanis fæminis, dum gravidæ erant, planè curru vehi interdictum fuisse scribitur, id quod quidem etiam prohibit Aetius ex Alpasia Tetr. 4. serm. 4. c. 12. Quamvis, si id lentè fiat, & per planum, facile non ob sit. Extensiones etiam majores brachiorum sursum versus, & graviorum onerum elevationes multis obfuere, quas proinde etiam vitare expediet.

An tamen consuetudo cum viro, quæ etiam quædam motionis species est, gravidis sit licita, contraversum est inter Autores: ego puto primis saltem duobus vel tribus mensibus eas virorum consortia consultò vitare, eò quod præterquam in motu illo venereo facile mentes, aut planè etiam abortus concitaretur, facile eti-

etiam superfatatio, quæ & Matri & fætui teste Arist. lib. 7. Hist. Anim. cap. 4. solet esse periculosa, contingere. Quod et si quidem raro ita eveniat, evenire tamen posse, adeoque esse vitandum, testis est idem ibidem Aristoteles. Posterioribus tamen mensibus concubitus videtur securior ob fætum tunc temporis jam firmius utero adnatum, & superfatationi nullum amplius in utero locum permittentem. Etsi teste eodem Aristotele plurimis, si concubuerint mense octavo infans mucore oppletus exceat. Imo si mulier admodum virum appetat necessarius: ne scilicet simile quid ipsi obveniat, quod accidisse cuiquam refert in Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. an. 7. obs. 123. Lochnerus, quæ absente suo marito in ed veneris desiderium devenerat, ut in somno mammas proprias cum manibus pro pene virili carpens, et comprimens tandem exercefacta fæmellam progenuerit in alterutra mammarum mentulam virilem adnatam habentem. Alias vero etiam ex, quæ pau-

paulò ante partum concumbunt, istud  
 cinctimenti inde habent, quòd faciliùs  
 pariant. Sed virum tunc brachijs suis  
 fortiter innixum coire oportet, ne præ-  
 gnantis ventrem comprimat. Popia Ieu  
 Populia M. Agrippæ filia, dum aliquan-  
 do hac super re, cur nimirum solæ ferè  
 mulieres gestationis tempore virum ad-  
 mittant, cæterorum verò animalium vix  
 aliqua, interrogaretur, respondisse fertur:  
*quia bestiæ essent.* Sapienti pauca. Quid  
 quid tamen sit: Certum est frequentio-  
 rem coitum saltem primis gestationis  
 mensibus esse insecurum, eò, quod teste  
 Franc. de Le Bœ Sylvio, ferè præcisè  
 propter istam causam Meretrices rarissi-  
 mè concipiunt, aut si concipiunt, ple-  
 rumque ante tempus abortiunt.

Cæterū genuinam, quare mulieres  
 tempore gestationis virum admittant,  
 cætera verò animalia exceptis paucissi-  
 mis, inter quæ est equa, & lepus, non  
 item, causam qui scire desiderat, Rode-  
 ricum à Castro lib. 3. de Natura Mul. c. 2.  
 de ea consulat.

Quo-

Quoad excreta, & retenta procurandum, ut corpus indies corresponeat, adeoque retentæ diutiùs alvinæ fæces non solum uterum non comprimant, fætuique molestæ sint, verum etiam ne copiosiores excrementitij humores per aluum alijs quotidie cum illis exonerandi in corpore aggregentur, ex quibus postmodum facile deterius quid gravidæ accideret. Vnde consultum est ut huic vitio subiectæ mulieres ipsæ te juvent, & in cibis frequenter assumant talia, quæ aluum apertam servare valent, qualis est tremor hordei, spinachia cum passulis de cocta, passulæ ipsæ, pruna, jura gallinarum cum additione, si videtur, manna, & similia: vitatis interea tamen fortioribus purgantibus, clysteribus, & suppositorijs acrioribus; quorum usus si tamen quandoque videretur necessarius, de eo expertus quispiam Medicus est consulendus.

Quoad animi denique pathemata composito, hilarique animo, quantum possibile

bilè est , gravidam esse , optimum semper  
 est , quemadmodum econtrà mæstam ,  
 zelotypam , iracundiam , aut quocunque  
 modo vehementer perturbatam pessi-  
 mūm : & præsertim quidem eis obesse lo-  
 let repentinus terror , qualis quandoque  
 concipitur ex inexpectatò exortis incen-  
 dijs , fulgure , tonitru , rixis , tristi nuncio ,  
 monstrosis hominum , bestiarumve aspe-  
 ctibus , & similibus inopinatis ; Qui mon-  
 strosi aspectus ( sub quibus quoque simi-  
 les picturæ comprehenduntur ) etiam pro-  
 pterea vitandi sunt , quòd simili formâ  
 etiam ipsi fætus facile figurentur , quem-  
 admodum id legere est rursus apud su-  
 periùs citatum Levinum Lemnium in oc-  
 cultis Naturæ Mirac. lib 1. c. 4. Ea , in-  
 quirit ille , est imaginariæ facultatis vis , &  
 potentia , ubi mulier fixius quid intuetur ,  
 ut simile quiddam conspectus emoliatur , adeò ,  
 ut infanti varias rerum formas induci con-  
 tingat , ac nævios , ientingines , lituras , ver-  
 rucasque imprimi , quæ non facile elui pos-  
 sunt , aut emaculari . Et rurius : Neque

verò temerè, aut ex nulla causa est, quòd nonnuli enormi sunt corpore, aspectu toruo, atque inamæno, protuberantibus, inflatis que buccis, ore distorto, rictuque indecenti, cùm hæc eò eveniant, quòd gravida ejusmodi spectra, ac simulacra cogitatione mente que conceperint, aut oculis intentiæ in illa fuerint defixa. Quâ de causâ etiam inhumanus ille quarumdam muliercularum mos omnino reformandus venit, quo Catellos, caniculâsue totâ quasi die in manibus gestant, exosculantur, & ne scio quid quasi lascivæ familiaritatis cum ipsis habent.

Atque tantum de regimine gravidatum usque ad partum.

Postquam verò jam quampiam peperisse contigit, tunc potissimum, in quo sibi cavere debet, est, ut in calido se contineat, & victu non mox à partu utatur pleno, aut alia quâpiam noxiâ precipue astringente qualitate prædicto. Ad aëris namque frigidi admissionem uterus mox sece contrahit, lochiisque liberum effluxum

xum præcludit, unde ventris tormenta, lumborum dolores, totius corporis horrores, cordis anxietates, suffocationes, & alia similia. Ad victum quoque mox à partu pleniorē ob spiritus per partū labores, & copiosi sanguinis profusione valde depauperatos fiunt in visceribus cōctioni dicatis indigestiones, & cruditates, atque ex his sanguinē massæ, tunc aliunde ad febrilem accensionem pronæ, admistis febres periculosæ, aut alia gravia symptomata. Quare puerperæ ab istis sibi cavere noverint, & se in loco calidusculo, & subobscuro in lecto decenter coopertæ saltē per dies 6. aut 8. constanter detinere, atque, quò lochia tantò liberius fluant, uterūsque tantò facilius in suum locum redeat, supinè pedibus nonnihil ad se retractis decumbere. Dixi in loco subobscuro: quantum enim primis illis saltē puerperij diebus lucidior aér noceat, docet nos infelix illa puerpera, quæ Viennæ Austriæ in obscurō quidem loco decumbebat, sed quod ad

casu spertam fenestram solares radios fixi.  
us intuita fuerit, catenus excæcata fuit,  
ut pro revocando rursus pristino visu nul-  
lum amplius tuâ vitâ remedium repererit.  
Sed credo eam tenebrosè nimis decu-  
buisse; quantum verò repentina illa à  
diuturnis & maximis tenebris in lucidum  
mutatio visioni obsit, experti contestari  
possunt illi, qui diu in tenebrosis carceri-  
bus detenti repente libero & lucido aëri  
expositi fuere. Vnde dum dicitur puer-  
peras debere jacere in loco subobscuro,  
tenebrosus intelligendus non est, sed mi-  
nus lucidus. Post clapsas sic octo aut  
decem plurēsue dies omnia præfata sunt  
laxiora, dummodo nihil deterius ægræ  
interea accidit. Successivè videlicet eis  
victu pleniore, aërèque lucidiore gaude-  
re licet, sicut & extra lectum, diutiùs  
non nihil morari, omnia tamen cautè,  
& intra calidiusculum cubiculum. Quo-  
ad victum sufficit juscula gallinarum, aut  
caponum cum una, alteraue bacca lauri  
& momento macis, crociue, quò lochia  
tan-

tantò feliciùs continuent, condita sæpius per intervalla forbere, & hoc saltem per 4. 5. aut plures dies consequenter, donec impetuosior affluxus lactis ad ubera cel- saverit, quo peracto, si nihil deteriùs ac- cessit, securè licet ad pleniorem victum, adeoque ad carnes gallinarum, caponum, pullorum, vituli, ova forbilia, & ex ijs parata, similèue facilè digestibiles cibos à macrioribus saltem, seu à pauco ad co- piosius progrediendo, accedere. Vbi tamen ova in butyro frixa ad eum mo- dum, quo nostratisbus familiaria sunt, die flablein / approbare prorsus non possum, si considerem illa teste Aetio Tetr. I. ierm. 2. cap. 134. *pessimum ad omne ali- mentum præbere, nam in coctione in nido- rem transiunt, & crassum humorem gi- gnunt, vitiosumque, & excrementitium.* Bene verò mirorea tam frequenter assump-pta notabilius damnum puerperis non af- ferre. A quibus propterea imposterum puerperæ arcendæ erunt, quemadmo- dum & à crudis omnibus, difficulter di-

gestilibus, flatuosis, & aliâ quâpiam puerperio contrariâ qualitate præditis, quorum è numero sunt fructus horarij, carnes duriiores, tale, aut aceto conditæ, pisces præcipuè paludosí, caro suilla, legumina, præcipuè fabæ astringentes & flatuolæ, castaneæ, caseus, lac, & similia.

Mirandum est, quòd, si quæ fæmina in puerperio (quod tempus nostrates mulieres planè ad 12. septimanas se se extender dicunt, totóque eo tempore se ab illicitis custodire solent) tale quid assumat, quod ei pro tunc non conveniebat, ejus noxam semper postmodū, quamprimùm id assumit, mox perlentilicere soleat.

Pro ordinario potu primis diebus multæ præter juscula nihil assumunt: alias verò servire potest aqua cum feme coriandri, aut ciñamomo, macere, corticibus citri, ac momento sem. cymini, vel etiam unâ alterâve baccâ lauri decacta. Postquā verò jam primus ille & impetuöfior lactis affluxus, & citra ulterius datum pertransijt, vinum defæcatum, vetus,

tus, album, & viribus mediocre. Abstemiae nostræ verò hujus loco decocto gallinæ utuntur. Accipiunt nimirum gallinæ macrioris cujuspiam vel saltem à pinguedinæ liberatæ quartam partem, eam in aliquot aquæ fontanæ libris cum uno aut altero baccarum lauri pari, modico maceris, momento sem. cymini decoquunt atque sic subfrigidam demptâ priùs, si quæ supernatæ, pinguedine torbillant.

Dixi subfrigidam: quantum enim actu frigidus potus puerperis, præfertim non longè à partu, obsit, edici non potest, quemadmodum perprovidè id annotavit in Ephem. N. C. an. 8. Dec. 2. obi. 174. Petrus Rommelius, & ab eo citatus Waldschmidius in Epist. 3. ad Dolæum data, uti & Georg. Francus in Ephem. Nat. Cur. Dec. 2. an. 9. obi. 200.

Somnus, & vigiliæ sint moderata.

Quies motui præferatur; sub quo & concubitum intellectum volo. Quamvis istud omnibus non arrideat. Arcea-

tur omnis strepitus & clamor, ne quies  
puerperæ turbetur: neque puerperæ ipsæ  
altiori voce loquantur, ne nimium se de-  
fatigent.

Corpus indies corresponeat, quod  
quidem si non fiat, nostrates mox tertio  
aut quarto à partu die, si apertæ non sunt,  
passulas minores in aqua melissæ macera-  
tas esitant, & aluum feliciter sibi, & ci-  
tra lochiorum turbationem referant.  
Alias etiam mitiores clysteres servire pos-  
sunt, suppositoriaque mitiora, quæ quate-  
nus simul lochia stimulant, etiam hæc spe-  
ciali ratione prodesse possunt. Ulterio-  
ribus verò aluum stimulantibus citra ex-  
perti Medici consilium, præcipue donec  
lochia adhuc cruenta profluunt, non  
utendum, et si id à temerarijs obstetrici-  
bus audacter practicari sepius viderimus.

Quoad animi denique pathemata,  
puereras adhuc magis composito, iacto-  
que, & ab omni excessiva perturbatione,  
præcipue verò tristitia, ira, & metu alieno  
animo esse decet, quam prægnantes, cò,  
quod

quòd illæ per partūs labores & ingentem  
in partu sanguinis profusionem valde de-  
bilitatæ, ob spirituum vitalium tunc amis-  
torum paucitatem quibuscunque acci-  
dentibus adhuc longè minùs resistere va-  
leant, quam dum prægnantes erant;  
quemadmodum id ( ut ex sexcentis tal-  
tem unum, & id deplorandum exemplum  
afferam ) cum proprio suo interitu, &  
maximâ suorum compassione experiri  
debuit ante annos Socrus mea p. m do-  
mina Kraijn. Hæc erat jam in quartam  
septimanam puerpera, quoad omnia  
quam optimè se habens & propterea eti-  
am suam œconomiam cum solita sua dex-  
teritate jam rursus exercens. Conti-  
git autem, quòd quodam vespere ad  
mensam cum cæteris cænaret, cibis ta-  
men pro se specialiter paratis, & uti sup-  
ponebat, innoxijs veſcens, de quibus ve-  
rò postquam jam aliquantum cum maxi-  
mo gusto assumpsisset, ecce in corum ali-  
quo cæpæ subnigram, qualem colorem  
ex frixura contraxerat, particulam, caſu,

uti coqua seu obstetrix edixerat, cum cochleari culinario fortè injectam conspicit, & adeò exhorretit, ut mox ab ea conspecta se emorituram clamare, totamque domum implacabilibus ejulatibus replere cæperit, paulò post verò convulsionibus epilepticis prehensa loquelā amiserit, atque triduo post è vivis maximo sui apud suos desiderio relicto decesserit. Ecce quid non valuit apprehensio, & contra obstetricem, à qua id studiò aut negligenter sibi factum credebat, indignatio! In quibus propterea puerperæ sibi temperare noverint, & eis servientes ipsas à similibus custodire. Elapsis in simili regumine quatuor, quinque, aut sex septimanis puerperæ tandem liberè è lecto surgere, imò cubiculo egredi, & sensim & sensim solitas œconomicas peractiones reassumere poterunt, servatâ tamen præscriptâ vietûs ratione in 9. aut 12. usque septimanam. Atque tantum etiam de recto prægnantium, & puerarum in 6. rebus non naturalibus regimine. Cum quo

quo quidem etiam opusculum hoc tale  
quale, sincero tamen corde in proximi  
commodum confectum, finitum volo.  
Id quod cedat D E O Ter Opt. Max. in  
perennem gloriam, immaculatè conce-  
ptæ ejusdem Genitrici M A R I Æ  
honorem, & animæ meæ  
salutem!

Non nobis Domine, non nobis, sed  
nomini tuo da gloriam. Ps. 113.

F I N I S.



I N.



## INDEX.

*Rerum & verborum.*

## A.

<b>Abortum utrum procurare quandoque licet prægnantibus ?</b>	435
<b>Acatiae succi usus in oculorum defluxionib. bus.</b>	136
<b>Acida cur gravidis noxia ?</b>	442
<b>Acidularum in febribus cum ascite usus.</b>	158
<b>Acidularum in affectione hypochondriaca usus.</b>	217
<b>Aër gravidis idoneus</b>	438
<b>Aeruginis in ulceribus astutus usus.</b>	135
<b>Affectus nomine quid intelligatur ?</b>	7
<b>Affectus menstruatis, gravidis, &amp; puerperis ac- cidentes plerique complicati.</b>	273
<b>Agaricum alexipharmacum.</b>	192
<b>Agaricum mite phlegmagogum.</b>	49
<b>Alexipharmacaca quid, &amp; quâ vi operentur ?</b>	114
<b>Alexipharmacorum usus</b>	115
<b>Alihandali trochisci Colocynthide securiores</b>	49
	<i>Ali-</i>

# I N D E X.

Alimenta præter nutritivam etiam alijs pollent qualitatibus.	121
Aloës calidis & siccis, aluum siccum habenti- bus, gravidis, & hæmorrhoidum nimio flu- xui obnoxijs inconveniens.	58
Alterantia quid, & eorum usus.	106
Alterantia quâ vi operentur ?	106
Alterantia unde talia, aut talia dicantur ?	107
Alerantium magna diversitas.	109
Inter alterantia ele&tio facienda.	110
Idem alterans pluribus, & quandoque contra- rijs pollet qualitatibus.	107
Alui fluxus qualis pleuriticis malus ?	257
Alui fluxus puerperis quandoque salutaris.	390
Alui obstru&tio ex sylu. pyrorum esu.	138
Alui in variolis obstru&tio.	205
Alexipharmacæ habent præter occultas etiam manifestas, & eas diversas qualitates.	115
Anasarca quid ?	150
Animi perturbationes vehementiores omnes gravidis noxiæ.	449
Appetita à gravidis vehementius non facilè ne- ganda.	442
Apoplexia cum febre complicata.	222
Apoplexia est urgentior febre.	229
Apoplexiæ curatio.	223
Apprehensio gravis in puerpera mortis cau- sa.	457
Ardo-	

# INDEX.

Ardoris linguæ curatio.	193
Ars qualiter possit imitari naturam.	355
Alcites quid.	150
Ascites cum febre lenta curatus.	162
Ascitis cum hectica curatio.	170
Astringentium in instantibus mensib⁹ usus.	290
Astringentium in actu fluentibus mensibus usu.	303
Astringentium in puerperis usus.	408
Aura frigida & lucida puerperis noxia,	450

## B.

Balbi mitioribus solum purgandi.	55
Balnea in febribus prohibita.	402
Basilica utrum gravidis incidenda.	346
Basilica quando, & cum quā cautione gravidis secanda.	348
Bezoar & unicornu plūs aestimantur, quam va- leant.	116
Bezoar humores ad caput, & fauces subli- mat.	117

## C.

Cacochymia purgationis indicans.	52
Cacochymiae expurgandæ ratio præsente viri- um debilitate	132
Camphoræ uetus in capite affectis.	117
Sæcitas in puerpera ex lucidiore aëre orta.	451
Canis.	

# I N D E X.

<b>Canicularium tempore cum quibus purgandum?</b>	56
<b>Caniculorum gestatio gravidis prohibenda</b>	449
<b>Cantharides vehementissimum, &amp; vesicæ infen-</b>	
<b>suum diureticum.</b>	103
<b>Cassia hypochondriacis, ventriculum humi-</b>	
<b>dum habentibus, gravidis, &amp; nutricibus</b>	
<b>noxia.</b>	59
<b>Cerebrum animæ rationalis sedes.</b>	330
<b>Cibus gravidarum.</b>	439
<b>Ciborum varietas complicatorum morborum</b>	
<b>causa.</b>	16
<b>Cichorei sylu. in curandæ ventriculi frigidæ, &amp;</b>	
<b>hepatis calidæ intemperie usus.</b>	248
<b>Clysterum diversa indicantia.</b>	70
<b>Clysteres ferè semper tuti.</b>	71
<b>Clysteres varij, &amp; in qua quantitate injici- endi.</b>	73
<b>Clysterum in febre maligna usus.</b>	191
<b>Clysterum in gravidis necessitas.</b>	326
<b>Clysterum in gravidis usus.</b>	357
<b>Clysteres, qui gravidis inlecuri?</b>	319
<b>Clysteres, qui gravidis tuti?</b>	74
<b>Clysteribus nimis frequenter non utendum.</b>	72
<b>Coitus num gravidis licitus?</b>	445
<b>Coëundi modus cum gravidis prope par- tum.</b>	447
<b>Colocynthis visceribus infensa.</b>	48

Colo-

# INDEX.

Colocynthis gravidis noxia.	59
Complicati morbi nomine quid intelligatur.	5
Complicati morbi descriptio.	9
Complicati morbi differentiae.	10
Complicati morbi causa.	14
Complicati morbi diagnosis.	17
Complicati morbi prognosis.	20
Complicati morbi curatio ex communi sententia.	24
Complicati morbi curatio ex propria sententia.	41
Complicatos affectus recta curandi ratio in quo consistat?	42
Complicatos affectus curandi modi varij.	137
Contraindicantis nomine quid intelligatur?	6
Corroborantium eadem est ratio, quæ alterantium.	113
Curationes morborum à quo inchoandæ?	26
Curatio à quo inchoanda in plurimum affectuum concursu?	28
Curatio qualiter instituenda in affectibus non reciprocam ad se invicem contraindicationem habentibus?	29
Curatio semper ad urgentiorem affectum dirigenda.	31
Curatio qualiter instituenda in affectibus reciprocam ad se invicem contraindicationem habentibus?	31
Cyclo-	

# INDEX.

Cyclaminus gravidis summè noxius.	440
<b>D.</b>	
Diagrydium tutius , quam Scammonium.	50
Diaphoretica quā vi operentur ?	88
Diaphoreticorum indicans.	89
Diaphoretica omnia calida.	89
Diaphoretica non omnia æquè calida.	91
Diaphoreticorum utilitas.	87
Diaphoretica quibus competant?	90
Diaphoreticorum usus.	87
In Diaphoreticorum usu quid observandum?	92
Diaphoreticorum in actu fluentibus mensibus usu.	303
Diaphoreticorum in puerperis usus.	400
Diarrhææ in febre maligna curatio.	197
Diarrhæa in puerperis utrum sistenda ?	409
Diarrhæa in puerperis quando , & quibus reme- dijs sistenda ?	411
Diarrhææ cum pleuride complicatæ cura- tio.	254
Diascordij Fracastorij infebre maligna usus.	118
Diuretica quid ? eorum indicans & usus.	98
Diureticorum cum diaphoreticis cognatio.	98
Diureticorum , & menses pellentium diver- sitas.	367
Diuretica quā vi operentur.	99
Diuretica quibus convenient?	101
Diuretica propriè sic dicta.	100

# I N D E X.

Diuretica impropriè sic diēta	101
Diureticorum temperatorum exempla.	103
Diuretica gravidis infensa.	321
Diuretica gravidis quandoque necessaria.	326
Diureticorum in instantibus mensibus usus.	289
Diureticorum in actu fluentibus mensibus usu.	303
Diureticorum in gravidis usus.	360
Diureticorum in puerperis usus.	400
Diureticis propriè calibus quandoque impropriè talia substituenda.	102
Dysuria & stranguria in grāvida curatio.	365
Dysenteria in puerperis curatio.	414

## E.

Electio artificiosa remediorum , & astutus co- rum usus , optimum complicatos affectus re- cte curandi medium.	46
Elaterium fætum interimit.	47
Emulsiones in diarrhæis suspectæ.	198
Emulsionum in petechijs usus.	200
Epithematum in febre petechiali usus.	200
Errores in puerperio commissi diu postmodum sentiuntur.	454

## F.

Febrium diversæ causæ.	95
Febris lacteæ causa.	392
Febris lacteæ à putrida distinctio	407
Febris	

# I N D E X.

Febris lactea de se secura , ultra triduum aut qua-	
triduum non durat.	393 & 404
Febris lacteæ curatio	404
In febre lactea victus ratio.	406
Febris quandoque apoplexiæ remedium.	231
Febres acutæ urgentiores , quam hydrops.	155
Febrium lentarum hydropi junctarum cu-	
ratio.	160
Febres lentæ hydropi junctæ frigidis malè cu-	
rantur.	160
Febris cum malignitate complicata.	184
Febris malignæ recta curatio.	185
Febris maligna curata.	193
Febris puerperis communissimus morbus.	388
Febris petechialis curatio.	199
Febrium symptomaticarum , ut anginæ, pleuri-	
tidis &c. in puerperis curatio.	403
Fœtus ad arborum fructus comparatio.	350
Fœtus quam diu gestetur in utero?	313
Fœtus tertij mensis.	335
Fœtus venæ Sectionis tempore roborandus.	343
Frigus , & lux nimia puerperis noxia	450
Frigida hausta qualiter sudorem moveat?	89
Fumus extinctæ lucernæ gravidis nocentissi-	
mus.	438

## G.

Graviditatis nomine quid intelligatur?	270
Gravidæ quæ deterius se habere soleant?	345

# I N D E X.

<b>Gravidis accidentium affectuum complicatio-</b>	
<b>nis modi aliquot.</b>	276
<b>Gravidæ quando pugandæ ?</b>	173
<b>Gravidis quibus primis mensibus venæ Sectio-</b>	
<b>præcipue necessaria ?</b>	345
<b>Gravidis etiam tali venas aperire licet.</b>	336
<b>Gravidarum in 6. rebus non naturalibus regi-</b>	
<b>men.</b>	437

## H.

<b>Hæmoptoiseos cum tussi ex perfrigeratione pe-</b>	
<b>ctoris orta complicatæ curatio ?</b>	260
<b>Hæmorrhagia lethalis theriacæ usum confe-</b>	
<b>cuta.</b>	94
<b>Hæmorrhagiæ gravidis quandoq; innoxiae.</b>	332
<b>Hæmorrhagiæ uteri à præmaturè abruptis se-</b>	
<b>cundinis dependentis in gravidis curatio.</b>	426
<b>Hæmorrhoidum antiquarum curatio,</b>	128
<b>Hecticæ febris curatio.</b>	174
<b>Helleborus vehemens medicamentum.</b>	48
<b>Helleborus albus validissimum &amp; vix tutum</b>	
<b>vomitorium.</b>	68
<b>Hydropis tres species.</b>	150
<b>Hydrops cum febribus complicatus.</b>	148
<b>Hydropis cum febribus complicati curatio.</b>	151
<b>Hydropis mirabilis solutio.</b>	183
<b>Hypochondriacæ passionis subjectum.</b>	208
<b>Hypochondriacorum accidentium causa.</b>	206
<b>Hypochondriacæ passionis curatio.</b>	210
	<i>Hy;</i>

# I N D E X.

Hypochondriacorum cibus.	226
Hypochondriacis an interdiu bibere liceat?	224
Hypochondriacorum potus.	223
Hypochondriaci cur tam raro resonentur?	221
Hystericis fragrantia noxia.	240

## I.

Indicatio quid, & unde desumatur?	25
Indicatum quid?	26
Intemperies ventriculi frigida cum intemperie hepatis calida complicata.	241
Intemperiei ventriculi frigidæ, & hepatis cali- dæ curatio.	242
Intemperiei calidæ ventris, & frigidæ splenis curatio.	249

## L.

Labores & commotiones sanitati proficuae.	435
Lochia quid, & quamdiu durare soleant?	271
Lochiorum lesionem quæ mala consequan- tur?	272
Cum lochijs etiam cacochymia expurgatur.	385
Lochiorum copiosus in partu fluxus non adeò metuendus.	422
Lochiorum nimij fluxus à retentâ in utero se- cundinâ, molâ, aut sanguinis grumo depen- dantis curatio.	423

# INDEX.

## M.

- Mannæ** in febribus usus. 58  
**Medico** quæ scitu necessaria. 141  
**Medicamenta** non omnia sunt ejusdem virtutis. 42  
**Medicamenta** respectu hominis dicuntur talia, aut talia. 38  
**Medicamenta** pollent sæpe pluribus, & ijs contrarijs facultatibus. 43  
**Medicamentorum** alia facultas per se, alia per accidens. 43  
**Medicamenta** aliud operantur per se, & aliud cum alio usurpata, & aliud hoc modo usurpata, aliud alio modo. 44  
**Medicamentis** pluribus eadem vis communis. 43  
**Medicamenta** operantur pro circumstantiarum diversitate. 45  
**Mel** febricitantibus, & hecticis noxium. 135  
**Menstrui** sanguinis seu mensium nomine quid intelligatur? 266  
**Menses** quando primùm fluere, & quando celare soleant? 267  
**Mentum** fluxus ad mulieris sanitatem necessarius. 268  
**Mensium** fluxus est testis mulierem esse aptam ad concipiendum. 269  
**Mensium** fluxus utrūm ad concipiendum absolutè sit necessarius? 270  
Men-

# INDEX.

<b>Mensium suppressionem quæ mala conseruantur ?</b>	268
<b>Menses suppressi quando movendi.</b>	312
<b>Menses carentium in actu fluentibus mensibus usus.</b>	303
<b>Menses pellentia gravidis infesta.</b>	324
<b>Mercurialis herba gravidis suspecta.</b>	359
<b>Meretrices cur raro concipient ?</b>	447
<b>Methodus universalis sine exercitatione in particularibus ferè inutilis.</b>	148
<b>Methodus curandi affectus complicatos communis examinatur.</b>	35
<b>Monstrorum factum causa.</b>	449
<b>Morbi cum graviditate complicati.</b>	313
<b>Morbi cum puerperio complicati.</b>	369
<b>Morbi matris abortus causa.</b>	314
<b>Morbillorum curatio.</b>	203
<b>Mors ex nimia diaphoresi orta.</b>	93
<b>Motus qualis, &amp; quando gravidis utilis ?</b>	444
<b>Mulierum naturalis constitutio.</b>	264
<b>Mulier ferè sola grāvida coitum amat.</b>	447
<b>Mulieres nobiliores cur in partu &amp; alias facilius offendantur, quam ignobiles ?</b>	433
<b>Mustum gravidis noxiūm.</b>	443
<b>Myrobalani ijs, qui durioris sunt alii inconvenientes.</b>	59

# INDEX.

## N.

Narcoticorum usus.	201
Narcoticorum in pleuritide usus.	259
Nucum in gravidis noxa.	443

## O.

Obstructionis splenis cum tussi ab acri defluxione dependente, complicatæ curatio.	251
Ova in butyro frixa puerperis interdicenda.	453

## P.

Panacæarum reprobatio.	141
Partum consequentia.	271
Passularum minorum in puerperis usus.	456
Plethora sanguinis missionis indicans.	79
Pleuritidis cum diarrhœa curatio.	253
Pleuritidis cum febre ratione refrigerantium complicatæ curatio.	257
Potus frigidus gravidis noxijs.	444
Potus frigidus puerperis noxijs.	455
Prognoses cautè ferendæ.	22
Prunellæ curatio.	195
Puerperij nomine quid intelligatur?	264
Puerperæ pluribus, & difficultioribus morbis laborant, quam cæteræ mulieres.	370
Puerparum salus lochia ritè fluentia.	390
In puerperis remedia ad uterum dirigenda.	400
In omnibus puerparum morbis ad lochia attendendum Medico exceptis variolis.	416

Puer.

# INDEX.

Puerperatum regimen in 6. rebus non natura- libus,	450
Puerperas animo quietissimo esse decet, & præ cipuè terrorē, iram, & tristitiam vitare.	456
Puerperij errores diu postea lūuntur.	454
Puerperam loco subobscuro decumbere de- cet,	451
Purgatio præcipuum sanitatis remedium.	52
Purgationis indicans Cacochymia.	52
Purgatio cum appropriatis cuivis humorī recte perficitur.	52
Purgantia alia fortiora, alia mitiora.	53
Purgantium alia operantur per superna, alia per inferna.	60
Purgantium variæ qualitates.	57
Purgantium exhibitio quandoque partienda.	64
Purgantium in febre maligna usus.	191
Purgantium in instantibus mensibus usus.	288
Purgantium in actu fluentibus mensibus usu.	299
Purgationis in gravidis necessitas.	325
Purgantium in gravidis usus.	349
Purgatio in gravidis non semper tuta.	319
Purgantia qualia gravidis convenientia?	351
Purgationis in gravidis tempore fœtus seboran- dus.	356
Purgantium in puerperis usus,	381

# INDEX.

Purgantium in variolis & morbillis usus. 205  
In purgantib⁹ etiam quantitas consideranda. 68

## Q.

Qualitatum intensio unde defumatur? 108  
Quartana cum ascite curatio. 152

## R.

Refrigerantia quā ratione febri medentur. 398

Refrigeratio non solorum frigidorū effectus. 395

Refrigerantium in hypochondriacis usus. 222

Refrigerantium in actu fluentibus mensibus  
usus. 303

Refrigerantium in puerperis usus. 388

Refrigerantia, quæ tenuioris sunt substantiae  
puerperis adeo non nocent. 396

Regimen prægnantium & puerperarum in  
rebus non naturalibus. 437

Regiones calidas incolentibus mitiora purgantia  
sufficiunt. 62

Remediorum astutus usus alterum complicatos  
effectus rectè curandi medium. 130

Remedia circa quæ contingunt affectuum cum  
mensibus concurrentiū complicationes. 281

Remediorum circa quæ fiunt affectuum cum  
mensibus concurrentium complicationes le-  
gitimus usus. 283

Remediorum, circa quæ fiunt cum mensibus  
complicationes, in instantibus mensibus  
usus. 283

Remed-

# INDEX.

- Remediorum, circa quæ fiunt cum mensibus complicationes, in morbo mensibus actu fluentibus superveniente legitimus usus. 295
- Remediorum, circa quæ fiunt cum mensibus complicationes, in mensibus morbo jam actu præexistenti supervenientibus, legitimus usus. 305
- Remediorum, circa quæ fiunt cum mensibus complicationes, in morbo suppressis mensibus superveniente legitimus usus. 306
- Remedia, circa quæ fiunt affectuum prægnantibus accidentium cum graviditate complicationes. 318
- Remediorum, circa quæ fiunt cum graviditate complicationes, legitimus usus. 324
- Remedia, circa quæ fiunt cum puerperio complicationes. 371
- Remediorum, circa quæ fiunt cum puerperio complicationes, legitimus usus. 374
- Rhabarbarum mite, & tutum medicamentū. 50
- Rhabarbari usus infebris suspectus. 57
- Rhabarbarum aluum duram post se relinquit. 59
- Rhabarbarum gravidis tutum, 356
- S.
- Salsa cur gravidis vitanda? 442
- Sanguinis missio magnum remedium. 78
- Sanguinis missio Romanæ olim militiæ infamis. 79
- San-

# I N D E X.

<b>Sanguinis missionis indicantia.</b>	79
<b>Sanguinis missionis contraindicantia.</b>	80
<b>Sanguinem mittendi modi varij.</b>	81
<b>Quo modo emissus sanguis vires magis debilitet?</b>	82
<b>Sanguinis missio quandoque partienda.</b>	85
<b>Sanguis quā quantitate gravidis mittendus?</b>	344
<b>Saphæna gravidis non facilè fecanda.</b>	349
<b>Scammoneum inflam̄ans &amp; corrodens medicamentum.</b>	49
<b>Scam̄oneo non, nisi correcto utendū.</b>	50 & 135
<b>Scammoneum in febribus suspectum.</b>	57
<b>Scyrrhus splenis ad tactum strepitum edens.</b>	182
<b>Senna gravidis tutum medicamentum.</b>	48
<b>Seri lactis in passione hypochondriaca usus.</b>	217
<b>Sitis diuturnioris noxæ.</b>	224
<b>Sternutatoria errhinorum species.</b>	359
<b>Sternutatoria in gravidis vitanda.</b>	360
<b>Solida diutiūs in ventriculo morantur, quām liquida.</b>	243
<b>Sudorifera, vide diaphoretica.</b>	
<b>Sudoriferorum in instantibus mensibus usus.</b>	289
<b>Sudor puerperis bonus</b>	49
<b>Suppositoria quid, &amp; quis eorum usus?</b>	76
<b>Suppositoria non omnia ejusmodi.</b>	76
<b>Suppositoria quā gravidis convenientia?</b>	359
<b>Syrupus ros, &amp; viol. sol, in febribus convenientes,</b>	58

Tama-

# I N D E X.

## T.

Tamarindi mite, & tutum Cholagogum.	50
Tamarindi febribus convenientes.	58
Temperatorum usus.	141
Terror præ alijs animi pathematibus gravidis noxius.	449
Terebinthina gravidis securum diureticum.	363
Tympanites quid.	150
Tympanitidis curatio.	177

## V.

Variolarum & morbillorum curatio.	203
Venæ Sectionis in febribus malignis usus.	189
	& 193
Venæ Sectionis in instantibus mensib⁹ usus.	283
Venæ Sectionis in actu fluentibus mensibus usus.	295
Venæ Sectionis in suppressis mensibus usus.	309
Venæ Sectio abortūs caula.	273
Venæ Sectionem in gravidis suadet ipsa natura.	331
Venæ Sectio quibus gravidis potissimum necessaria?	345
Venæ Sectionis in gravidis usus.	327
Venæ Sectio quando in pede & quibus gravidis necessaria?	341
Venæ Sectionis in puerperis usus.	374
Venæ Sectionis in petechijs usus,	200
	Ve-

# I N D E X.

<b>Venæ Sectionis in variolis &amp; morbillis usus.</b>	<b>203</b>
<b>Ventriculi frigidi &amp; hepatis calidi curatio.</b>	<b>133</b>
<b>Vesicatoriorum in febre maligna usus.</b>	<b>201</b>
<b>Victus nomine quid intelligatur?</b>	<b>119</b>
<b>Victus ratio quotplex, &amp; quæ cujusvis ma-</b>	
<b>teria?</b>	<b>122</b>
<b>Victus ratio pro morbi ratione varianda.</b>	<b>126</b>
<b>Victus febricitantium qualis?</b>	<b>125</b>
<b>Victus ratio qualis gravidis conveniens?</b>	<b>368</b>
<b>Victus ratio puerarum qualis?</b>	<b>452</b>
<b>Victus simplex &amp; parcior sanitati proficuus.</b>	<b>434</b>
<b>Vigiliarum &amp; deiiriij curatio.</b>	<b>197</b>
<b>Vivendi mos moderni temporis.</b>	<b>123</b>
<b>Vomitoria quid, &amp; quæ eorum à purgantibus</b>	
<b>diversitas?</b>	<b>64</b>
<b>Vomitoriorum quod indicans?</b>	<b>65</b>
<b>Vomitoria quibus idonea?</b>	<b>65</b>
<b>Vomitoriorum rectus usus.</b>	<b>66</b>
<b>Vomitoriorum variæ fortis exempla.</b>	<b>67</b>
<b>Vomitoriorum in instantibus mensib⁹ usus.</b>	<b>289</b>
<b>Vomitoriorum in aëtu fluentibus mensibus</b>	
<b>usus.</b>	<b>302</b>
<b>Vomitoriorum in gravidis usus.</b>	<b>357</b>
<b>Vrina quandoque ob vesicæ ab utero compres-</b>	
<b>sionem supprimitur in gravidis.</b>	<b>366</b>
<b>Vrinæ suppressionis à calculo in grida cu-</b>	
<b>ratio</b>	<b>364</b>
<b>Vteri procidentiae in pueris curatio.</b>	<b>428</b>

## ERRATA TYPOGRAPHICA.

**E**T si pro & si paginâ 3. lineâ 3. diarrhæa pro diarrehæa. p. 12 l. 18. putaberis pro putatensis. p. 22. l. 11. inquam pro in quam. p. 22. l. 17. allegatæ pro allegatae. p. 23. l. 18. maximum pro moximum. p. 27. l. 20. oportet pro aportet. p. 38. l. 12. lib. iss. pro lib. ss. p. 73. l. 20. appareret pro oparet p. 105. l. 10. alexipharmacæ pro alexipharmacea. p. 116. l. 2. eas pro eos. p. 156. l. 13. dicto pro dato. p. 180. l. 4. spagyricæ pro pagiricæ. p. 200. l. 21. aliquot pro aliquod. p. 214. l. 8. martialia pro martilia. p. 219. l. 3. qualitate pro qualite. p. 249. l. 17. rubro pro nubro. p. 256. l. 22. priore pro prioer. p. 308 l. 20. Cap. 8. pro Cap. 9. p. 356 l. 10. Caput 10. pro 11. p. 358. l. 6. Caput 11. pro Cap. 12. p. 359. l. 9. obveniant pro abveniant. p. 370 l. 9. asservimus pro effervimus. p. 388. l. 17. patiuntur pro potiuntur. p. 434. l. 14. id pro ed. p. 446. l. 18.

